ΣΥΜΦΩΝΟΓΛΩΣΣΙΑ
(5)

Linguarum Cognatio:

SEV

DE LINGUIS IN genere, & de Variarum *Linguarum Harmoniâ Dissertatio.*

Autore THOMA HAYNE, *olim Oxoniens. è Coll. Lincoln.*

---

1 COR. 14.5.

Volo vos omnes loqui Linguis.

APOC. 5.9.

Cecinerunt Canticum novum, dicentes; Redemisti nos per Sanguinem tuum ex omni Tribu, & Lingua, & Populo, & Natione.

LONDINI,
Imprim. typis JOH. NORTON. Prostant apud *Josuam Kirton & Tho. Warren,* in Coemiterio Paulino sub signo Equi candidi. 1639.

BIBLIOTHECA·BODLEIANA

Præfatio ad Lectorem.

LAudabile est (Lector benevole) quorundam studium & sedulitas, quæ in *Linguarum variarum*, imprimis verò sacrarum, notitia promovenda impenditur. Etsi enim *Rerum scientia* sit *Linguarum peritia* optabilior & superior, ea tamen inter has cernitur *subordinatio*, *ea progrediendi ratio* in ignorantiæ tenebris dispellendis, & veritatis radiis menti humanæ inferendis requiritur, ut nisi vocabula, Rerum signa, nobis à magistris, vel mutis, vel viva voce docentibus instillata, rectè percipiamus, non possimus tandem ad Rerum ipsarum intelligentiam aspirare. Cum verò *sacrarum Rerum scientia*, utpote aliâ omni cognitione nobilior & fructuosior, primo in loco sit spectanda, *sacrarum etiam linguarum* notitia maximam studiorum nostrorum exposcit curam. Pontificiorum igitur hac in parte negligentiam arbitror meritò reprehendi: qui 1. sacras lin-

guas Ebræam ſcil. et Græcam ita ſeculo præcedenti abiecerint, ut [a] linguam *eſſe Græcam, ſuſpectum fieri, Ebraicam hæreticum: ut, re* [b] *literariâ ad Sophiſticas quaſdam argutias contractâ, faſtidita ſit Græcanici ſermonis peritia, & multo magis Ebraici.* 2. Peccarunt Pontificii, quia *voluerunt* [c] *alia lingua quam Latina, Gratiam, Pacem, Veritatem in ſacris Scripturis (nemini non revelatas) tractari, & res ſacras in Publicis Officiis & precibus peragi.* 3. Jure ſunt etiamnum culpandi, qui in vulgata Editione Bibliorum enarranda & elucidanda ſine Ebraicæ & Græcæ veritatis examinatione operam ponunt, & ſæpe ludunt: nec Ariæ Montani, & Andreæ Maſii, & aliorum inter eos cordatiorum exemplo volunt edoceri, ut à glande ad triticum edendum, à turbido in multis locis rivulo ad fontem limpidum bibendum provocentur. Meminiſſe & ſagaciùs perpendiſſe debuerunt, quid Deus, cum Apoſtoli ad Evangelii promulgationem erant ſtatim mittendi, et [d] *virtute ex alto induendi*, effecerit. Scil. quomodo viros Galilæos variarum linguarum dono ita ornarit, ut auditores ſuos è plurimis Gentibus convolantes ſuâ cujuſque dialecto

a *Eſpencæus in 2. Tim. 3.*
b *Eraſm. Annotat in Hieronym.*
c *Harding. Artic. 15. Sect. 3.*
d *Luc. 24. 29.*

lecto alloquerentur. Nam hoc miraculo Christus *successores omnes Apostolorum* erudiit, quam magno sit usui in Ecclesiæ ædificatione variarum linguarum donum. Quippe non temerè, sed gravissimam aliquam ob causam Deus miraculosa exerit opera. Deinde cum Deus in Novo Test. lingua Græca usus sit, quæ victoriis et coloniis Macedonum facta fuit communissima, et Judæis pariter nota et Barbaris; satis constat neminem sine justa reprehensione ejus studiam et notitiam posse vilipendere. Præterea cum Novum Test. *Patriarcharum, Judicum & Regum* historias, et multa *Prophetarum commata*, ut unius et ejusdem sacræ veritatis testes, sæpius citet, inde licet perspicere magnum linguæ Ebrææ (ex quâ illa desumpta sunt) usum esse Christianis. Et cum jam, ubi nodus aliquis occurrit difficilior, [c] *ad Ebraicam & Græcam veritatem* (quod suadet S. Augustinus) *recurratur*: & cum quædam 72 Interpretum, & vulgatæ Editionis, & priorum seculorum deviationes luce Originalium linguarum deprehendantur, videmus prudenter et utiliter operam

[c] De doctr. Christian. l. 2. c. 11.

ſtudioſorum in Linguis ſacris collocari. Siquidem ut Manna, cibum Angelorum miniſterio paratum, Iſraeli peregrinanti miraculosè dedit Deus, donec in agros Chananiticos eſſet deventum, ubi locus ſementi et meſsi dabatur; et victus neceſſarius hominum ndustria, quam oportuit exerere, poterat comparari: ſic linguarum variarum miraculoſum in Apoſtolos donum Deus contulit, cum ſtatim in initio Evangelii nationibus omnibus [f] *pœnitentia & remiſſio peccatorum fuit annuntianda, & quemlibet populum in propria ſua lingua edocendum Divina ſapientia neceſſarium duxit.* At poſtea ſatis erat futurum ſi Deus uſum variarum Linguarum, educatione, ſtudio, et exercitatione comparatum Eccleſiæ Doctoribus concederet. Atque idcirco laudanda ſunt virorum complurium eruditiſsimorum ſtudia, [g] *quorum opera per univerſum orbem Chriſtianum bonæ literæ & linguarum peritia* (quod ſuo tempore factum eſſe aſſerit Eraſmus) *revixerunt & feliciſſime repullularunt: cum antea Sophiſticam Theologiam ubique obtinuiſſe, & ejus ſpinetis divinum verbi ſemen ſuffocaſſe,*

[f] Luc 24. 49. Act. 2.

[g] Eraſm. in Editione Hieronym.

&

& distinctionibus frigidissimis juvenum ingenia inutiliter exercuisse sit manifestissimum. Nec debita his temporibus laus est deneganda, in quibus viri haud pauci, eloquentiæ copia & linguarum peritia instructissimi, ora obstruxerunt [h] *furiosis & rabidis illis* (sic enim Joh. Reuclinus sese hos exp rtum esse ait) *canibus, omnis bonæ Artis & Linguarum osoribus, librorum incendiariis, vetustatis pestis.* Nam prudentissimis & elegantissimis orationibus honorē linguæ Ebraicæ, Græcæ, Syriacæ, Arabicæ, &c. debitum vendicarunt, & diuturnas audaculorum impugnationes & diffamationes (utor verbis I. Reuclini) mendaciis plenissimas ita exploserunt: ut jam neutiquam liceat cuiquam tenebrioni impunè clamare *Græcos* [i] *schismaticos esse, & Reuclinum* (dum Ebræam institutionem orbi meditabatur) *genus literarum tractasse à Romana pietate alienum*: quod optimi quique jam experti sunt Christianæ pietati valdè profuisse. Præterea, ut usus linguarum sacrarum inclarescceret, Doctiss. *Sixtinus Amama* [k] luculenter probavit *ignorantiam Ebraismi, & vulgatæ Editionis*

h *I. Reucl. in lib. de Accent.*

i *Ibidem.*

k *In dissert. hoc de vet. & in Censura vulgatæ Edit.*

nis Antheniam matrem fuisse præcipuis Papismi erroribus: & sparsim in Protestantium operibus apparet, quàm sæpe errarunt Pontificii Græcum etiam Novi Test. textum negligendo; & quantam lucem sacræ veritati accendat linguarum originalium lampas. Quomodo verò subserviant [l] *Ebræa lingua matri, filiæ ejus maximè genuinæ Syriacæ lingua & Arabico, ostendit vir doctissimus Laur. Fabricius; & Nic. Clenardus* [m] *ideo se in Arabismo addiscendo multum fuisse ait, quia Arabicæ linguæ peritiam mirificè Ebræis rectius intelligendis censuit conferre.* Et noster *Guliel. Bedwellus*, Arabicarum literarum peritissimus, judicavit multas voces Ebræas raro in Veteri Test. occurrentes, ex linguæ Arabicæ cognatione aliquid lucis posse mutuari. Nec parum illud arbitror profuturum, quod [n] *in Arabicis Evangeliis 600 annis abhinc versis, pleraque omnia sic sese habent, ut in codicibus Græcis ab Erasmo examinatis & editis.* Opinor & Syriacam Novi Test. versionem ad quorundam locorum in Græco textu intelligentiam non parum cõducere. Inter quos existimo illum, Ro. 12. 1. ubi

l In præfat. ad Gramm. Syram. Crinesii.

m In lib. 1. & 2. Epist. Clenard.

n Id. in l. b. 1. Epist.

ubi à Th. Bezâ pro λογικὴ λατρεία) reponitur (*Rationalis cultus:*) quæ voces ab Imm. Tremelio è Syriacis verbis exponuntur (*Ministerium verbale*) hoc est, cultus in verbo à Deo mandatus; non humanæ rationis ope & ductu efformatus. Huic verò sensui è Syriaca versione eruto astipulatur illud S. Petri, *Sincerum* γάλα λογικὸν *lac verbi* (scil. in Scripturis sacris exarati, nam eadem vox in eodem sensu heic habetur) *expetite*. Ut verbo dicam alienis oculis visurus est, quid sibi velint Talitha Kumi, Epphatha, Raka, Mammon, & aliæ voces in sacro textu obviæ, qui Syriacæ linguæ penitus est ignarus. Cum verò in novo Test. voces & Phrases Græcæ sint varii generis, varia subsidia & rationes varias, ex quibus istas voces & phrases intelligamus, dari necesse est. 1. *Pleræq; heic* [o] *voces & formulæ loquendi sunt Græcis familiares.* 2. *Quædam sunt ex Ebræis Doctoribus desumptæ*, quales sunt *Paradisus* pro cœlo, *Gehenna* pro inferno impiorum. 3. *Aliæ sunt ab usu 72. Interpretum receptæ*, ut ἀδελφὸς *frater* Matt. 12. 46. Sicut Gen. 13. 8. pro cognato: & [p] θυμὸς pro ve-

o *Quadruplex genus vocum in Novo Test. ut Hugo Broughton sæpe.*

p Ios. Mede in Apoc. pag. 239. q H. Brough.

p *veneno* Apoc. 14. ut Deut. 32. 33. *Est* q *& 4um. vocabulorum genus ab ipsis Apostolis, Spiritu Sancto dictante de novo* (ad quod mira est hujus linguæ facilitas) *productum*: ut ἄρτος ἐπιούσιος *in oratione Dominica*; *& Chalcolibanum* Apoc. 1. pro Orichalco. Hujusmodi vocum parcior usus est in Novo Testam. Hæc vocum genera cum ita sese habeant. 1. Profanos autores in usu quarundam vocum explicando, sacræ Scripturæ subservire par est. 2. *E Talmude & scriptis Rabbinicis* multa peti possunt, quibus & Judæi suis telis vulnerentur, & eorum *assensus veritati sacræ* ostendatur. Hac in re multum desudavit H. Broughtonus. Et memini me audivisse à *D. Doct. Burly* olim Rect. Eccl. S. Benedict. apud Londinens. viro linguarum peritissimo, multos *locos difficiles Novi Test.* lucem majorem ex Talmudicis quibusdam commatibus, quàm ex Latinis multorum commentariis; qui in rebus facilioribus sunt copiosi plus satis, in arduis silent. Hoc certè verissimum est de vulgatæ Editionis expositoribus. 3. Diligens lectio & prudens observatio phrasium in 72. Interpretibus multum ad-

adjuvabit ad sensum Novi Test. non raro indagandum. *Lexicon hac de re à D. Hug. Broughtono studiosè compositum* & manu eius conscriptum, Collegii Sionensis Bibliothecæ (ut publico Ecclesiæ bono inserviret) dedi. Hoc quidem nemini usui futurum est, nisi fuerit in Ebræo textu veteris Test. & versione 72. Interpretum, & in Græco textu Novi Test. versatissimus. Hoc etiam in genere *Nic. Fullerus, & Jos. Mede*, sacrarum linguarum studiosissimi & peritissimi, multas observationes annotarant, quæ cum iis magna ex parte jacent intermortuæ, nisi aut in memoria amicorum sint superstites, aut aliorum studiosorum operâ resurgant. In 4. genere vocum, quæ certè rariores sunt, nihil sine judicio maturo & accurato examine pronuntiandum est. Hunc in modum linguarum studia ad Ecclesiæ ædificationem, & sacræ veritatis propagationem multum conferunt. Præterea, cum, ut ait [a] *Nat. Clemardus* (& exemplum Gentium in primitivis temporibus conversarum assertionem ejus videtur confirmare) *Ebræi Ebraica lingua*, & [b] *Mahometani linguâ Ara-*

[a] *In lib. Epist. sept.*

[b] *P. Kirstenius in præf. Gram. Arab.*

Arabica, quæ utuntur, sint confundi, & ad fidem vocandi, certè etiam Ethiopici jam in partibus orbis remotissimis sua sunt linguæ edocendi, nec non & nationes propinquiores ab erroribus suis, quibus diutius assuetæ fuerunt, linguæ suæ vernaculæ extrahendæ. At Protestantium libris in linguâ vernaculâ Nationum Pontificiæ doctrinæ emancipatarum non patet aditus: & si pateat, eorum lectio non sine summo periculo est tentanda. Hoc scio, sed experti novimus universi, huiusmodi Pontificiorum cautionem nihil in Anglia olim effecisse; & suspicor alibi diu non esse prævaliturum. Hùc de re judicet posteritas. Certè si hac in re obnitantur Pontificii furiosiùs, ostendent satis liquidò sese suæ causæ multùm diffidere. Veritas multas oppositiones experta est, multa tulit durissima: sese tamen expedit & eluctata est: æquè eluctabitur & sese expediet: suo more prævalebit, & viam, si non inveniat, Deo aspirante, faciet. Si doctores Pontificii, (ut olim Pharisæi & Sadducæi, doctissimi pastores Judæorum, ac sui & partium suarum, quàm veritatis stu-

studiosiores) suæ ita litem famæ, & ventri, et mundo, ut non vacet sagaciùs hoc cõsiderare, aut non libeat Apostolorum more cuiq; populo suâ dialecto doctrinã Christi sine errorum mixtura, annunciare, & Christo sese humiliter submittere, non est, quòd quisquam miretur. Quia non multi secundum carnem sapientes, non multi nobiles, non multi generosi olim Christi doctrinæ in rebus omnibus obtemperarunt. Populus certè suæ infirmitatis conscius ad veritatis agnitionem & amorem facilius, Deo propitio, adducetur. Inde verò fiet, ut tandem etiam Doctores Pontificii (*ut multa turba Sacerdotum Judaicorum*) pudore suffusi, & sua exuta obfirmatione cedant victi. Hi olim linguarum sacrarum notitiam, Bibliorum vernaculorum Editiones, appellationes à vulgata Editione ad originalem veritatem ferre noluerunt, donec labores & conatus suos senserint irritos. Quod & hac in re eventurum nullus dubito. Quare & nos in Linguarũ scientia, & earum Harmonia (de quibus heic agitur) promovendâ elaboremus; Dei exemplum omni exceptione majus sequamur, & linguarum varietate varias

c Act. 6.7.

nationes ad fidem & veritatem Christianam ſtudeamus perducere. Is Deus qui olim linguas omnes Spiritu ſancto conſecravit, qui multas olim nationes ad fidem Christianam lingua earum vernacula vocavit, noſtris ad mundi conſummationem adſit conatibus in eodem opere & progrediendi tenore collocatis, & Doctoribus noſtris plantantibus & rigantibus (ut olim Apoſtolis) feliciſſimum & optatiſſimum det incrementum. Ita (Lector amice) precatur

Humillimus tuus in Chriſto
Servus T. H.

Errata hæc, ſic, quæſo, corrigas.

Lege pag. 23. lin. 14. tantum p. 29. l. 7. aſſentitur. pag. 55. lege ubique (propius) p. 68. l. 2. inquam, magiſtri.

DE LINGUIS in genere, & variarum Linguarum Harmonia *dissertatio.*

DE Linguis & Linguarum Harmonia dicturus conabor nihil afferre, quod non sit aut sacra Scripturarum autoritate firmatum, aut hominum eruditorum & in hac arena diu multúmque exercitatorum suffragiis communitum. Ut verò tota res lucidiùs ob oculos ponatur, paucis Thesibus, quicquid in hoc negotio mihi visum est adducere, sum complexurus.

Positio prima.

Quædam de Linguis aliisque de rebus obiter habet Scriptura sacra, quibus errores Gentium, cum memoriam Antiquitatis

tatis tradunt, redarguuntur. Siquidem
a Pſa.146. 19. Deus, cum per Moſen *Legem* a *ſuam Iacobo & ſtatuta Iſraeli exarari voluit & communicari*, ſuo ea ſuggeſsit interpreti, quibus veritatis cognitio ad animarum ſalutem neceſſaria delinearetur: ut filiis
b Eze 20.8 Patriarcharum, qui *à vero* b *Dei cultu & ſacris ritibus in Ægypto defecerant*, & Dei & ſui ipſius notitiam magna ex parte obliterarant, immenſam & gratuitam ſuam bonitatem denuo faceret innoteſcere. Præterea is, ut Eccleſiam ſuam ſibi devinciret arctius, autor etiam Moſi fuit intertexendi haud pauca Antiquitatis monumenta & veſtigia rerum olim geſtarum, ex quibus manifeſtum ſit, Gentes à fœdere divino alienas, & ſacra veritatis luce deſtitutas in multis
† Tull. ejuſmodi rebus (quod & ipſæ † fœdum & turpe putant) labi, decipi, errare. Ne verò & nos etiam in devia iſta ſeducamur, canonem Scripturarum illum ſacratiſsimum, & rectiſsimum ſui & obliqui indicem, nobis dedit, ad quem licet Antiquitates prophanas examinare. Harum Scripturarum luce arguuntur
c Herodot. in Euterp. *Pſammetichi* c *tenebræ, qui craſſo ſatis & fallaci commento ſe Linguam Phrygiam com-*

comperisse antiquissimam opinatus est; & *Historicorum quorundam vanitas, qui homines* [d] *non nisi nutibus & sonis inarticulatis olim animi sensus promptsisse, & ferarum* [e] *ritu in silvis & antris vitam narrant transegisse*; *& Græcorum insctia, qui sese multarum rerum inventores falsò venditant*; *& Arcadum caligo, qui se* [f] *Luna antiquiores perhibent.* Si omnes hi sacræ Historiæ notitiam hausissent, & Legis divinæ, & Linguæ sanctæ arcana calluissent, in tam crassos errores non incidissent: nec præterea *Athenæ habitæ fuissent* [g] πόλις μεγίστη καὶ εὐδοκιμωτάτη εἰς σοφίαν *urbs maxima & sapientiæ laudibus nobilissima*; *nec se Athenienses* αὐτόχθονας *i.e. populum in eo ipso quo vivebant solo natum, nec unquam ab aliis sedibus migrasse jactitassent*; *nec Græci Linguæ suæ gloria inflati, omnis elegantiæ & venustatis laudem sibi arrogassent, & tanquam barbaros reliquos totius orbis incolas reputassent.* Si Græci, inquam, sacri Codicis arcana tenuissent, nec *Critias novem* [h] *annorum millia, nec Ægyptii* [i] *millia longè plura Pluonis tempore effluxisse* existimassent. Veritatis radii in verbo Dei ita splendent, ut densissimas has & alias orbis

[d] Diodor. Sic. lib. 1.
[e] Cic. de Orator. 1.
[f] Ovid. fast. Clem. Alex. in log. pæd.
[g] Plat in Apol. Socr.
[h] Plato in Critia.
[i] Id. in Tim.

tenebras, & inſcitiæ nebulas valeant diſcutere. Niſi igitur horum lumine noſtræ mentes illuſtrentur, totum genus humanum efficiet næ intelligendo, ut nihil intelligat, aut cum ratione inſaniat. Incidit in quendam Socrates [k], qui ἐδόκει εἶναι σοφὸς ἄλλοις πολλοῖς, μάλιστα δὲ ἑαυτῷ, εἶναι δὲ οὔ *ſapiens viſus eſt multis, maximè autem ſibi, qui tamen ſapiens non erat.* Complures ejuſdem farinæ homunculos, qui plebi credulæ facilè imponebant, & ſapientiæ oſtentatione imperitis fucum faciebant, Socrates expertus eſt. Unde is, ut erat in dignoſcendo, quantum diſtent æra lupinis, ſagaciſsimus, prudenter & cautè obſervabat alios *permultos* [l] *Athenienſes complura ſe ſcire opinatos, qui nihil ſcirent*; & *ingenuè profeſſus eſt ſeipſum & nihil ſcire, & ſeſe nihil ſcire exiſtimare.* Cujus modeſtiæ non abſimilis eſt illa *Academicorum* [m], *qui nihil percipi poſſe affirmarunt.* Nimirum novit Socrates multò eſſe facilius falſas opiniones refellere, quam veras in lucem proferre, & firmis rationibus adſtruere. Norunt etiam *Academici* [n] *multa Philoſophorum placita in utramque partem diſputari*, ita ut

k Plato in Apolog. Socrat.

l Plat. ibid.

m Cicer. ſæpe.

n Cicer. de Divinat. 2.

ut veritatem plenè planéque capere, & indubitatum aliquid inter sectas litigantes statuere longè esset difficillimum. Socrates igitur sapienter nostris accessit partibus, & oraculo assentiebatur pronuntianti Deum solum ◦ esse sapientem, ἀνθρωπίνην δὲ σοφίαν ὀλίγου τινὸς ἀξίαν εἶναι ἢ οὐδενὸς, *humanam sapientiam parvi esse, aut nullius certè pretij.*

◦ *Plato in Apolog.* Socratis.

Quod si verò Dei sapientiæ in sacrâ linguâ conscriptæ attendamus, constabit Græcos non solum rerum scientia & vera sapientia Judæis fuisse inferiores, & sacri codicis gravitatem, majestatem, leporem neutiquam assequutos; sed etiam, quod ad linguas & alia antiquitatis arcana attinet, in errorum deviis procul à sanæ doctrinæ semita oberrasse; constabit Athenienses in tenebris plusquam Aegyptiacis versatos, lucem, quæ in linguâ verè primitivâ Israelitis sese exeruit, nescisse; sapientiæ umbram & vana verborum lenocinia captasse; ignorasse verò timorem Dei, fidei donum, & pietatis veræ delineationem, & veritatis indubitatæ firmamenta, in quibus animus noster tutò possit acquiescere. Hæc sacra Dei

eloquia per Mosen exarata, & tum à Christianis tum à Mahumetanis recepta docent linguã Phrygiã antiquitatis honorẽ neutiquã promereri: docẽt fieri non posse, ut Attici sint ἀυτόχθονες: inde enim sequetur (*quod ait Carteromachus* p) *eorum linguam esse* ἀυτόχθονα; quam tamen Babylonicam habere originem, ut ut ultimam antiquitatis suæ memoriam perscrutentur, cum aliis linguis communem debent agnoscere. Docent sacræ scripturæ vanas fuisse Arcadum ampullas, & Aegyptiorum annales ineptè Chronologiam instituisse, quibus suam & linguæ suæ antiquitatem studuerunt nobilitare. Igitur quæ de linguis afferuntur testimonia è Scriptoribus Ethnicis sunt infirma planè & nullius ponderis, nisi veritati in sacrosancto idiomate exaratæ consonent, & luminis scintillam aliquam à Mose mutuentur.

p *In Orat. ejus.*

Secunda

Secunda Positio.

Scripturæ sacræ ostendunt Ebræum populum & linguam ab Ebero Patriarcha duxisse nominis sui originem, & linguam Ebræam esse antiquissimam. Nam disertis verbis asserunt *ad Eberi usque tempora linguam* [a] *totius generis humani unicam fuisse.* Quamvis autem plures erant *Noæ* filii & nepotes, hi tamen diversis nominibus tanquam diversæ nationes non distinguebantur, sed filii *Adam*, vel *Noæ* audiebant: donec tandem *Nimrodus* cum sociis Deo mandanti, ut fœtificarent, & terram replerent, obluctatus sit, & Turris Babylonicæ structura populum detinuerit, & in apostasiam secum a Deo abstraxerit. Noluerunt hi unanimiter Deo, ut oportuit obtemperare, unde ira divina in turbam rebellem exarsit, & Deus linguam omnibus communem ita confudit, ut non possent subditi imperantium

[a] Gen. 11.

tium ſermonem capere, & eorum mandatis obſecundare. Ita qui Dei conſilio ſeſe non ſubmiſerunt, ſua ipſorum conſilia ſenſerunt irrita; qui Dei voluntati obnitebantur, populum habuerunt ſuæ voluntati immorigerum. *Heic* [b] *vero* (inquit *T. Bibliander*) *conſpicitur admiranda Dei potentia, ſapientia, bonitas, juſtitia; quia eripiendo hominibus facultatem conjungendi rationes, conſilia, judicia, voluntates ſuas, ſummam rationem adhibuit, ut ſimul homines, gravi pœna, quam erant meriti, mulctaret, & opus manibus ſuis rectiſſime formatum non deſtrueret, aut transformaret; ſed in mirima portione hominis vim Numinis ſui inſuperabilem declararet, & pœnæ remedium atque integritatem & ſolatium* (in communione novæ cujuſlibet linguæ poſitum) *concederet.*

[b] *In lib. de ration. comm. linguar.*

At in qua tandem familia tunc manſit lingua illa primigenia, & humano generi antea communis? Quod in Eberi domo & in quibuſdam ejus nepotibus perſtiterit non levibus argumentis è ſcriptura petitis probari arbitror. Nam in communi & grandi aliqua hominum defectione non temerè

rè Deus consilia sua quibusvis aperit: sed servo suo alicui, quem cum suis à communione tum peccatorum undique grassantium, tum cladis & pœnarum delinquentibus et peccantibus debitarum est liberaturus. Hanc Dei bonitatem *sensit Noah* [c] *cum suis*, cum totum genus humanum diluvio fuit immersum: & *Lotus* [d] *cum suis*, cum Sodoma cum suis fororibus igne cælitùs immisso interiit: & *Jeremias* [e] *cum suis*, cum plebs reliqua Deo morem non gerens, plurimis malis in Aegypto erat contusa. Eodem planè consilio Deus Ebero Patriarchæ divisionem linguarum, terrarum & nationum fecit innotescere: Eber autem *in nomine Pelegi filii sui* tantæ indignationis divinæ & calamitatis humanæ memoriam voluit extare. Nam nomen filij sui (Peleg) divisionem significat: atque ideo huic fuit inditum, quia *in ejus nativitate divisio terrarum facta est. Quæ certe divisio unà cum confusione linguarum, & dispersione populorum contigit.* Fuit ergo Eber Propheta Deo charus; cui hoc arcanum voluntatis divinæ in tam tristi reliquorum clade fuit revelatum; & cui

[c] Gen. 6. 13

[d] Gen. 19. 12.

[e] Jer. 42. 9.

Gen. 11. cui *Deus vitæ ſpatium per annos* 464. quot ſolis curſus nemo poſt diluvium natus numeravit, indulſit; & *quem Deus in vivis eſſe voluit cum Pelego, Regu, Nahore, Thera, Abrahamo nepotibus ejus* per quinque continuas generationes, & his omnibus defunctis eſſe ſuperſtitem; ita ut ad annum *Iſaaci* 79. pervenerit. Liquet itaque Eberum hunc inter ſanctos illo tempore fuiſſe celeberrimum; quidni etiam multis inter turbam impiam & Deo rebellem? Nam tum Prophetis piis improbiſque tum viris ſanctis impii reges & illorum Satrapæ, ut *Abrahamo Abimelechus, Ioſepho Pharaoh & Potiphar, Magis etiam Pharaoh & populus illius, Balaamo Balac & ejus proceres, Ahijæ Jeroboamus & uxor ejus, Eliæ Achabus, Eliſhæ Hazael* multum obſervantiæ & honoris tribuerunt. Quamvis autem Eberi fama & exiſtimatio inter prophanam ejus & reliquorum patrum proſapiam Prophetiæ nomine minime inclaruerit, hic tamen non potuit non propter vitæ longævitatem & cognationem inter illos eſſe notiſsimus, & multum celebrari. Quippe ſi flagitiis omnibus cooperti viros inſigni-

insigniter vitæ sanctimonia claros (quod aliquando fit) negligant, aut minime (ut par est) colant: solent tamen *si quisquam egregijs quibusdam donibus in sua cognatione cæteris omnibus præluceat, quod in Ebero hoc contigit*, hunc in oculis & ore habere, & ejus famam longè latéque deprædicare. Hinc verò factum est, ut ab illustri hoc Patriarcha & Propheta notissimo, & multis nominibus celebratissimo, lingua, quâ hic cum posteris ejus religiosis usus est, dicta sit Ebraica; & populus ab illo natus & Deo dilectus dictus sit Ebraicus.

Hoc verò liquidius multò constat, quia Shem, *cujus Tabernacula f à Deo, ut veræ Religionis sedes, memorantur, dictus sit pater omnium filiorum Eberi.* Immo, quod annotat Augustinus, *quia Eber, g cum sit inter filios Shem quartus nepos, primus nominetur*: idque quia verum est, quod traditur, ex illo Ebræos esse cognominatos. Cum vero Shem dicatur *Pater omnium filiorum Eberi*, per patrem omnium filiorum Eberi, hunc non solum genitorem fuisse filiorum Eberi, sed & alio sensu patrem eorum fuisse

f Gen. 10. 21.

g De Civit. Dei lib. 16. c. 3 quamvis nepos ut ait August. quæstion. 72. Interp.

isse est verisimile. *Fuit quidem Shem* [h] *pater & genitor Elami, Assuris, Arphaxadi, &c.* Si verò fuit Arphaxadi genitor, tum etiam Selæ & Eberi, quod in Genealogia sacra sequitur. Ita ut non necesse fuerit præmittere eum patrem seu genitorem fuisse Eberi, quod statim subjungitur; nisi patris nomen latius extenditur, & *ad laudem* [i] *Eberi* (quod etiam censet Augustinus) *spectet, qui quamvis quartus à Shemo oriatur, primus tamen ponitur.* Quid igitur amplius per patrem filiorum Eberi heic indicatur? Certè 1°. Shemum fuisse patrem summa autoritate & honore conspicuum inter filios Eberi, qui in ejus manserunt tabernaculis, & veræ Religioni adhæserunt. Nam vixit *Shem ad annum Abrahæ centesimum & quinquagesimum, & dictus Melchisedek* (ut constans est Ebræorum & rectè sentientum Christianorum judicium) *fuit rex & sacerdos Dei altissimi; & obvius factus Abrahamo redeunti à victoria in quatuor reges,* fuit summa observantia excultus. Hoc sensu *Iosephus* [k] *dicitur pater Pharaoni, & Naaman* [l] *servis suis.* 2°. dicitur Shem pater filiorum omnium Eberi,

[h] Gen. 10. 22.

[i] De Civit. Dei 16. 11.

[k] Gen. 45. 8.

[l] 2 Reg. 5 13.

beri, quia Ebræis *in religioso veri Dei cultu præijt, & sacerdos fuit imprimis reverendus*: quem Eberi posteritas (ut verisimile est) Deum consulens adijt. Sic *Elias* [m] *pater dicitur Elisæ, & Elisha* [n] *pater Ieboramo.* Præterea *per filios Eberi*, quid aliud intelligi vult Spiritus sanctus, quam Ebræos? sic enim sacra pagina *per filios Ammon Ammonitas, per filios orientis populum ab Orientali plaga Palæstinæ, per filios Israelis Israelitas sæpius designat*: sic etiã scriptores exteri per *filios Achivorũ, medicorum, philosophorum, Achivos, medicos, philosophos* indigitant.

m 2 Reg. 2. 12.
n 2 Reg. 6. 21.

Illud verò manifestius apparet, si observamus sacram scripturam temerè, & sine occasione aliqua illustri nunquam historicæ narrationi quicquam obiter interponere. Sicut igitur in historia Esavi interseritur quandoque (*hic* [o] *fuit ille Edom*, &, *hic fuit pater Edomi*) ut denotetur fons & origo inimicitiarum Edomiticarum erga Israelitas; sicut etiam in historia Chami sæpe iteratur aliquid de Chanaane, ut (*Cham* [p] *iste est pater Chanaan*, & *Cham pater Chanaanis vidit nuditatem patris*, & postea, *maledictus Chanaan*, *sit Chanaan servus Shemo & Iapheto*) sine vel levis-

o Gen. 25. 30. & 36. 8 & 18 & 43

p Gen. 9. 18 & 22 & 25

leviſsimâ mentione fratrum reliquorum Chanaanis. Quia jam *Iſraelitis terra & opes maledicti hujus Chanaanis poſſeſſio erat futura.* Eàdem certè ratione in Hiſtoria Shemi dicitur obiter & ἐμφατικῶτερον significantius & expreſsius *Shemum illum fuiſſe patrem filiorum Eberi,* quia *res jam filiorum Eberi,* hoc eſt, *Ebræorum, leges iis à Deo datæ, & vitæ Patriarcharum ab Ebero ortorum erant à Moſe contexendæ.*

Præterea mos inolevit his primis temporibus, ut *nomina Gentium à nomine inſignis alicujus & primarij viri* deſignarentur. Hinc à *Mitzraim* [q] *vocati ſunt populi Mitzraim,* qui poſtea Aegyptii [r] *ab Aramo Aramitæ* nuncupantur, qui poſtea Syri [s] à *Moab nominantur Moabitæ,* & familiæ in Palæſtina ab aliquo filio Chanaanis. Sic ab Ebero Dei propheta & viro illuſtri Ebræi nomen ſuum acceperunt. Hîc verò providentiæ divinæ radij elucent admirandi, quod populus Dei in nullo fixo loco commorans & ſedem ponens, vocaretur *ab Ebero Natio Ebræorum,* cujus vocis radix ſeu thema עבר *Gnabar* denotat de loco in locum, talem migrationem,

[q] Gen 12. 14.

[r] Gen. 15. 16.

tionem, qualem fuisse *Theræ*, *Abrahami*, *Isaaci & Iacobi disertis verbis legimus*, *& fuisse Eberi*, *Pelegi*, *Regu & Nahoris* est verisimile. Erant enim hi patres κτηνοτρόφοι *pastores*, & in tentoriis habitabant; unde constat eos sæpe habitandi locum mutasse. David verò testatur horum nonnullos *à populo* [f] *ad populum*, *de regno ad regnum sub Dei tutela illæsos migrasse*; *& sese instar* [t] *omnium patrum ejus peregrinum cum Deo fuisse*; nempe dum sæpe Sauli furorem declinavit, & cum suis aut Dei hostibus est conflictatus. Postea verò cum populus Dei divino fretus auxilio inter hostes suos versabatur, & ab Aegyptiis & Chananæis hostili animo impetebatur, *ab Israele*, cui hoc nomen prius fuit inditum, quia *cum Deo & hominibus erat prævaliturus*, *ipsi σὺν Θεῷ Chananæos domituri appositissimè Israelitæ nuncupantur*. Posteà verò cum populus hic fixas posuisset sedes, & statam & florentem reipub. formam in Davidis & Solomonis temporibus obtinuisset, hi *à Juda*, secundum cujus nominis Etymon cum Lea jure debebant cantare; (*Nunc Dominum Deum laudabo*) *dicti sunt Iudæi*. Hunc

[f] Ps. 105. 11.
[t] Psal. 38.

in

in modum populus Dei ab Ebero, ut & postea ab Israele, & Judâ (addam & à Christo) nomen acceperunt.

Sicut autem quandoque *nomen Israelis & Judæ pro Israelitis & Judæis*, sic & *nomen Eberi ponitur pro Ebræis*; cum dicitur, quod *Kittim* [u] *sint afflicturi Eberum*, id est, Ebræos. Nam ut ut lis sit, quæ natio heic appelletur Kittim, concors tamen est *eruditorum judicium Eberum pro Ebræis poni*. Deinde vox (עברי *Ebræus*) usitata sortitur terminatione nominum Gentilium, quæ ab insigni aliquo viro deducuntur. Atque ideo constanter & rectè à 70. Interpretibus transfertur *Ebræus*, ut & (עברית *Ebræa*:) semel tantummodo cum de Abrahamo sermo est (עברי) redditur περάτης, hoc est, ut quidam volunt, *transfluvialis*; *quia fluvium transiit Euphraten*. verum autoritas 70. interpretum in uno loco, eorundem autoritati in cæteris omnibus locis, aut concordi interpretum eruditissimorum autoritati in hoc & cæteris locis neutiquam præponderat. Nec certe עברי rectè περάτης exponitur, aut (ut P. Brugensis vult) *peregrinus*. Mos enim linguæ hujus (quantum

[u] Num. 24.

tum scio) hoc non patitur; sed postulat hoc sensu potius ut Abraham dicatur עִבְרִי. Ut verbo dicam; sicut Esau dictus fuit [x] *Edom* à *cutis rubedine*, *aut* à *rubro edulio*: deinde ab Edom seu Esauo dicti sunt Edomitæ vel Idumæi: sic *Eber dictus fuit ab ejus peregrinatione*: ille enim, ut & Patriarchæ reliqui sæpe locum mutarunt, & omnes Dei servi à Deo peregrinantur in hoc mundo; deinde *ab Ebero nomen Gentile acceperunt eius posteri* עִבְרִים *Ebræi*.

x Gen. 25. 25. & 30.

Nec verò ab Abrahamo (quod *quosdam sensisse innuit S.* Augustinus, [y] quod & Theodoretus [z] *modo ait, modo negat*) vocatur gens Ebræa. Nunquam enim quenquam invenimus nomine Gentili insignitum, qui illi Genti dedit Dominis originem. Nec enim consuetudo loquendi fert, ut Aram dicatur Aramæus, aut Edom Idumæus, aut Juda Patriarcha Judæus: quia nomina hæc derivata & Gentilia relationem & respectum quendam denotant ad suum originem, non autem originem ipsum. Præterea א in nomine Abrahami litera prima non solet in ע mutari, aut ם finale abjici in nominibus Gentilibus,

y *De civit. Dei l.* 16. 3.
z *Theod. in Ezekiel. vide etiam Quæst.* 60. *in Gen.*

cum terminationem ſortiuntur ſingularem. Ab Ebero igitur gens hæc, ut & lingua ejus (quod hinc etiam conſequitur) vocatur Ebræa. Scilicet ab initio mundi ad Eberi tempora totum humanum genus uno nomine appellatum fuit filii Adami, & *univerſæ terræ fuit unum labium*, id eſt, una [a] lingua, & *una pronunciandi ratio*, ut quidam exiſtimant. Tum verò Deo placuit, ut turba impia diverſos ſecuta duces diverſis diſtingueretur nominibus, diverſis uteretur ſermonibus; ut autem hominum cœtus, qui Ebero & ſuis adhæſit, & in vera fide perſtitit, & primævam linguæ communis illius integritatem conſervavit, nomen ab Ebero ſumeret. Unde S. Auguſtinus, *Lingua*, [b] inquit, *omnium hominum communis remanſit in Eberi gente: à cujus nomine nomen accepit: & hoc juſtitiæ gentis hujus non parvum apparet veſtigium, quod cum aliæ Gentes* (ſeu familiæ) *plecterentur mutatione Linguarum, ad iſtam non pervenit tale ſupplicium.*

a Crineſ. n l. de confuſ. ling.

b De civit. Dei. 16. 11.

Quod autem illa eadem lingua, qua in veteri Inſtrumento uſus eſt Spiritus Sanctus, fuit Adami & patrum primorum, Etyma horum nominum *Adam*, *Eva*,

Eva, Isha, Cain, Abel, Seth, Noah, &c. satis manifestò evincunt: cum ad Ebræam linguam propriè spectent hæc omnia, & non nisi propter linguæ affinitatem, aut non nisi obtorto collo in vicinas linguas trahantur. Est sanè adeò manifesta hâc in re Veritatis Lux, ut magnus heic sit eruditorum consensus. *Lingua*, [c] inquit Origines, *per* Adam *primitus data, in populo, qui Dei portio fuit, permansit.* Et Hieronymus, *Ebræam* [d] *linguam, qua vetus Testamentum scriptum est, esse initium oris & communis eloquii universa credidit antiquitas.* Et alibi, *Nosse* [e] *possumus linguam Ebræam omnium linguarum esse matricem*: ideoquè inquam & primam. Et [f] Augustinus, *Quando turris Babylonica structa erat, non defuit domus Eberi, ubi ea quæ antea fuit omnium lingua remaneret.* Et alibi sæpe in hunc sensum. Huic patrum judicio sententia virorum eruditissimorum & variarum linguarum scientia celebratissimorum, ita ut in mundo literario lumina jure censeantur, consonat. *Theod. Bibliander* [g] *est*, inquit, *sermo Ebræus parens & princeps linguarum omnium.* Gulielmus Postellus, [h] *linguam*, inquit, *Ebræam*

c *Homil. in Numer.*

d *Epist. 144. ad Damas.*

e *In Zeph.*

f *De civit. Dei 16. 11.*

g *Lib. de rat. comm. ling.*

h *Lib. de orig. ling.*

bræam primam esse constat ex autoribus tum sacris, tum profanis. Primæva [i] *lingua*, inquit *Th. Beza, dicta Ebræa in* Eberi *familia ad* Abrahamum *& posteros perducta mansit.* Joh. Seldenus, [k] *Lingua*, inquit, *Ebræa est vetustissima, qua usi sunt non solum Ebræi vulgo dicti, verum etiam totius incolæ tractus, quâ Syria latissimè patet.* Ne multus sim in re tam manifesta, *Est communis*, ut ait Ch. [l] Crinesius, *omnium rectè judicantium Theologorum, historicorum, Lexicographorum sententia, illam omnium primam fuisse linguam, quam Ebræam indigitamus.* Sic [m] *Junius*, [n] *Megiserus*, [o] *Schickardus*, [p] *Crinesius*, [q] *Bellarminus*, *Pererius* [r], &c. ut multorum calculis confirmeturillud in Judæorum ore tritissimum. לשון הקודש אם כל-הלשונות *Lingua sacra est linguarum omnium mater.*

Solus [s] *Goropius Becanus* Cimbricam seu veterem Teutonicam Adamo fuisse vernaculam operosiùs, quàm feliciùs contendit: idque hoc præcipuè argumento: quod *simpliciores radices, & paucioribus expressas characteribus, habet* quam Ebræa. Hoc eius argumentum est palmarium: quod quàm dilutum sit, pluribus exemplis ostendere, non est opus:

i Lib. de primord. l. Gr.

k In Proleg. lib. de dijs Syr.

l Ch. Crinesius in Bab. cap. 1.

m In præf. Gram. Ebr.

n In præf. Lexic. pol.

o In examine expos. Rab.

p In b. Bib.

q Lib. de verbo Dei. 2. 1.

r Comm. in Gen.

s In lib. Hermathē.

pus: Ab ἐκκλησία descendit vox monosyllaba **almes**, à κυριακὴ **Church** vel **Kirk**, à יעקב Ἰάκωβος *James*, &c. Lexica Harmonica hujus argumenti imbecillitatem plurimis demonstrant exemplis. Rectissimè Varro [t]; non sunt, inquit, *reprehendendi, qui literas adjiciunt aut demunt, dum vocum origines scrutantur:* Sunt etiam in hac sententia alii complures. Pari itaque iure licet utrumque facere, si modò certa & manifesta sit vocum cognitio. Sed quid plura? *Christianus* [u] *Becmannus*, [x] *I. Lipsius*, [y] *Christoph. Cinesius*, *Christoph. Besoldus* [z] hunc errorem Goropianum satis retuderunt.

t *De Ling. Lat. lib. 6.*

Theodoretus [a] verò & *Mericæus* [b] linguam Syriacam Ebræa antiquiorem, & unicam illam fuisse à Mose pro cõmuni omnium lingua prædicatam asserunt. Fuit Theodoretus Syrus & Cyrensis in Syria Episcopus, & forsan patriæ fumum alieno igne lucidiorem (tantum potest patriæ amor) opinatus est: admissus verò advocatus hâc suâ in causâ, non iudex, coram tribunali reliquorum patrum olim, & eruditorũ virorum his nostris temporibus post multam & seriam

u *In mantissa.*
x *In epist. Cent. 3. ad Belg. 44.*
y *In lib. 3. b. l.*
z *In lib. de natura pop. &c.*
a *In quæst. in Gen.*
b *In præf. Gram. Syriaca.*

quæstionis agitationem causa cadit. Mericæus verò linguæ Syriacæ professor, Spartam, quam nactus erat, studuit ornare; & fecit, quod vulgus professorum solet; qui ut auditores habeant faciles & sequaces, omnem movent lapidem, artem, quam profitentur, præconiis undique accitis accumulant. Verum eam laudandi rationem Socrates meritò & graviter taxat, cum quis [c] ὡς μέγιστα ἀνατίθεται τῷ πράγματι, καὶ ὡς κάλλιστα ἐὰν δὲ οὕτως ἔχοντα, ἐὰν δὲ μή. Εἰ δὲ ψευδῆ, οὐδὲν ἄρ' ἦν πρᾶγμα, *Laudes alicui rei ascribat quam potest maximè & elegantissimè, sive rei conveniant sive non. Immo si falsæ sint, nihil refert.* Quod autem Mericæus istam laudem immeritò & minùs verè linguæ Syriacæ attribuat, eruditè & solidè *Bart.* [d] *Maierus* probavit. Stat ergo immotæ veritatis thesis hæc proposita: *Populum* scilicet *Ebræum, ut & linguam Ebræam ab Ebero nomen accepisse: & Ebræam linguam esse primam omnium & antiquissimam.* Quæ verò hactenus dixi, maxima ex parte è *sacra pagina* hausta sunt, & inde vires suas & firmitatem sumpserunt. His verò positis videamus porrò, quid *viri doctissimi* & πυλυγλωττότατοι *linguarum plurimarum callentissimi* amplius statuerunt.

c *Plato in Sympos.*

d *Philol. sacræ. l. 2.*

Positio tertia.

NVllus [a] *populus linguam, quam ex confusione Babylonica hausit, aut in colonia alicujus deductione alicunde sumpsit, diu retinuit.* Rectè sanè [b] I. Lipsius. *Errat, qui in re instabili maxime, id est, lingua quærit firmitatem.* Et statim addit. *Inuenimus* à *prima confusione infinitùm linguas mutasse, variasse, multiplicasse, ut Gentes hominum confusæ & mixtæ inter se fuerunt, & iterum propagatæ. Multa,* inquit [c] *Cicero, posterius mutat:* Idque, inquam, ut in moribus, ita vel maximè in linguis. De Græca lingua *Plato, tantum asserit vocabulorum* [d] *fuisse mutationem, ut si lingua suo tempore usurpata, cum antiqua conferretur, antiqua videretur prorsus barbara.* De Latina verò *Polybius* [e] ait: *Si quis præsentem linguam cum veteri comparet, tanta apparebit varietas, ut vix quædam etiam summa diligentia adhibita, viri maxima intelligentia prædui possint discerne-*

a Edwardus Brerew. in disquis. de linguar. & vet. cap. 6. Dion. Halic. 1.

b Ad Belg. Cent 3. Epist 44.

c Cic. de orator.

d In Cratyl.

e Lib. 3.

re. Et multa in 12 Tabulis M. Ciceronem & magnos Jurisconsultos fugisse affirmat Bibliander [f]: & M. Varro [g] Ælium in literis Latinis multum exercitatum, dum carmina Saliorum interpretabatur, quædam exili interpretatione expediisse, & obscura multa (quæ forsan explicare non potuit dilucide) præteriisse. Nec mirum, inquit, Varro, vocabula post annos quingentos neutiquam cognosci, cum Epimenidis corpus post annos 50 expergitum (detur venia vocabulo Varroniano) à multis non cognoscebatur. Verus igitur vates fuit Horatius, cum dixit

f De commun. Rat. Ling.
g Varr. de L.L. lib 6. fic Quint. 1.5.

Multa renascentur, quæ jam cecidere, cadentq;
Quæ nunc sunt in honore vocabula, &c.

Et rectè Pet. Crinitus [h] linguam Latinam dispescuit in Priscam, Latinam proprie dictam, Romanam, & mixtam. Idem sentiunt Joh. [i] Nies, & alii plures. Quæ verò fuit conditio linguæ Latinæ, ea etiam fuit Anglicæ, Germanicæ, Gallicæ & cæterarum, quæ hodie obtinent: sermo enim his in usu quingentis abhinc annis ita differt ab hodierno, ut vix cognoscas

h De hon. dis. 3.3.

i Lib. de ortu & interv. L.L.

noscas eundem esse. Ita ut cum [k] Fabio verè liceat affirmare: *ex omnibus prope dixerim gentibus, ut homines, sic & instituta & sermonem* [l] *in populum & linguam Romanam*, sic & in [m] *Anglicam, Germanicam, Gallicam* & cæteras omnes linguas & gentes venisse.

k *Quintil. l. 9.*

l *Hac de re vide Edw. Brerewood. d. squis. de ling. &c.*

m *Richard Verstegan.*

Quarta Positio.

Multæ sunt causæ tantæ inconstantiæ & mutationis in Nationum linguis. Prima est *longi temporis vis.* Quid enim mutare vetustas non solet? Secunda *Coloniarum* [a] *deductio* & cùm antiquis incolis *variarum Gentium commixtio*, quæ sermonis etiam mixturam invehit. Tertia est *locorum & aëris natura*, quæ aliquid facit ad vocis asperitatem vel lenitatem: inde fit ut [b] *Eadem vox ab Hetrusco, Longobardo & Apulo prolata mirificam habeat & literarum & pronuntiationis diversitatem, ut pene non idem, quamvis sit idem* (ut inquit

a *Hac quàm tum linguæ Græcam mutaverit, docet eruditiss. Edw. Brerew. d. squis. de ling. & rel. orbis totius.*

b *Jo Pontanus in li. de Aspirat.*

quit Jov. Pontanus) *videatur*; [c] *Inde etiam fit, ut Septentrionales ament consonas asperè collisas & propter spiritum & caloris impetum crebris aspirationibus gaudeant.* Atque hinc est quod quidam è suis sedibus migrantes, alibi in novum vocis & sermonis tenorem lapsi sint. Etiam *Attici surculi in alieno solo consiti paulatim incœperunt* Σολοικίζειν *Solœcismis sermonem suum corrumpere.* Has causas observarunt *Bodinus*, *Bibliander*, *Mayerus* & alii.

[c] *Bodinus in Method. Hist. lib. 6.*

Sunt etiam aliæ nonnullæ addendæ. Quartò, Si *Cadmus* [d] *pauciores, ad Græcos, literas attulerit*; si istis quasdam *Palamedes*, alias *Epicharmus*, & *Simonides* addiderint, si quælibet lingua hodiè in usu tenuiora & rudiora initia agnoscat, & temporis progressu & eruditorum industria ad perfectionem nitatur, necesse est, ut hæ omnes frequentes subeant mutationes. Quintò, cum *mens* [e] *hominum varia sit & versatilis*, & novas subinde loquendi formulas & vocabula longè petita venetur, vel jamdiu antiquata revocet, fieri non potest, ut una eadémque semper maneat sermonis facies. Levitas, affectatio & insolentia, ut vestium

[d] *Plin. & alii.*

[e] *Edwardus Brerew. in disquis. c. 6. Rich. Verstegan. cap. 7. pag. 197.*

vestium & victus, sic etiam sermonis varietatem procudit. Sextò, In multis orbis partibus linguarum facta fuit mutatio; quia *imperiosæ* [f] *civitates*, ut S. Augustinus, *non solum servitutis jugum, sed & suam domitis gentibus linguam imposuerunt.* Hinc *Græca* [g] *lingua* sub Macedonum imperio *per totum orbem* (quod *Tullius* testatur) *increbuit.* Et [h] *Plutarchus* ait, *Latino sermone* νῦν ὁμοῦ πᾶσαι ἄνθρωποι χρῶνται, *nunc omnes ferè homines utuntur.* At quid tandem? si tanta sit in linguis mutatio, si tot, & forsan plures mutationum causæ, quæ in linguis firmitas, quæ constantia? Cum *I. Lipsio firmitatem aliquam dari fateor à literis* (seu libris) *una fideli rerum custodiâ.* Siquidem in *Platone & Demosthene*, *in Cicerone & Terentio*, & cæteris purioris seculi autoribus genuina Græci & Latini sermonis facies cernitur: In *sacrosanctis veteris Instrumenti libris* linguæ Ebrææ puritas elucet. Quicquid in autoribus oppidò vetustis, aut novitiis inveneris, nisi ad exempla & canonas scriptorum in seculis purioribus formetur & fingatur lutulentius & immundius fluit. Siqua autem sit in linguis nationum

f De civit. Dei l. 19.

g In orat. pro Archia.

h In Quæstion. Platonic.

num hoc tempore constantia, hanc scripta eruditorum tum antiquitùs, tum nostro hoc ævo ostendent: si verò scripta antiquiora cum nuperis conferantur, non erit obscurum, quanta in qualibet lingua vernacula mutatio fuerit introducta.

Quinta Positio.

c

Est quædam linguis omnibus, maxima quibusdam cum Ebræa convenientia & affinitas. Scil. in vocabulis omnium linguarum sunt expressissima nonnulla Ebræarum vocum vestigia. Inde S. *Augustinus* [a] censet *multas linguas ex Ebræa immutatione quarundam literarum habita exstitisse, ita tamen ut illa lingua non deperierit, sed cæteris linguis fuerit confusa.* Th. [b] *Bibliander* in confusione linguarum *Linguam Ebræam mansisse* censet *integram, in singulis autem dialectis, seu linguis cæteris, vestigia multa & manifesta esse, quæ indicant sermonem Ebræum parentem esse omnium linguarum.*

[a] *In quæstion. in Testam.*

[b] *Libr. de optim. Gr.*

Joh.

Joh. Fosterus, [c] *Omnes*, inquit, *aliæ linguæ ab Ebræa multas voces mutuantur.* Augustinus [d] Steuchus, *Cæteras*, inquit, *linguas omnes invenies vocibus Ebraicis aspersas.* Et [e] alibi, *Est lingua Ebræa, ut cæteris vetustior, ita omnibus admista, & quasi interspersa, ex ejus enim vocibus in omnibus [f] linguis reperies.* His assentiur Casparus Waserus [g] *qui judicat omnes Gemes in universo orbe nobis cognitas vocabula nonnulla Ebraica retinere.* In eundem sensum Gulielmus Schickardus [h] *Non est dubium*, inquit, *quin linguæ omnes ex Ebræa sint ortæ, quod manifesta congruentia in multis prodit.* Hoc etiam quibusdam exemplis edocet. Quid ego huc adducam *Ch. Becmannum* [i], qui censet *omnes linguas aliquid mutuari ab Ebræa?* Agmen hoc claudat Gul. Postellus: qui ait, *Nisi esset Ebræa lingua principium & fons omnium linguarum, nunquam posset fieri, ut tot linguæ in tam variis orbis partibus dispersæ, jam tot annorum millia illi affines essent, & ad illam unam propè accederent.*

c *Præfat. in Lexic.*

d *Lib. de perenn. philos. 1.*

e *Id. in Gen. 37.*

f *Sic Gesn. in Mithrid. Sic Fr. Junius in orat. de ling. Eb.*

g *In Comment. ad Mithrid. Gesneri.*

h *In Harol. Ebræa.*

i *In mantd.*

Sexta

Sexta Positio.

Linguæ Asianæ & Africanæ multa vocabula Ebræa referunt accepta. Hoc multiplici testimonio doctorum, qui in hac arena fuerunt versatissimi & fide dignissimi liquet. *D. Augustinus* & *Hieronymus* non semel *Punicam linguam Ebræa vicinam asserunt.* Th. [a] Bibliander, *Linguæ*, ait, *Sidonia, Arabica, Ægyptia, Indica, Persica, Medica, Parthica, Assyria (ut periti in his homines, & argumenta suæ proferunt assertionis, affirmant) maximam habent cum Ebræa cognationem, & veluti ex ea matrice (ut* Hieronymus *appellat) prognatæ sunt. Et* G. Postellus, *omnes*, ait, [b] *linguas, præcipuè Orientales, Ebraicæ affines esse, locutione, signis, & vocibus.* Et libellum edidit, cujus peculiare hoc est argumentum. Alibi etiam ait, *Ismaeliticam linguam esse semiebræam.* [c] Augustinus Steuchus, *Sermo*, inquit, *Chaldæorum, Assyriorum, Arabum, Æthio-*

[a] Lib. de opt. genere Gramm.

[b] Grammaticas, id est, quæ ad Canonas Grammaticorum possunt exigi.

[c] Lib. de perenni philosophia. p. 2.

Æthiopum, & totius fere Orientis sic appropinquat Ebraico, ut adulterina germanis, corrupta sinceris respondent. Deinde *Franciscus Junius* affirmat [d] *linguam Ebræam fontem esse linguarum omnium, quas memoriâ nostrâ colunt obtinéntque Asia & Africa, edsque omnes tanquam degeneres matris tam venustæ filias, adhuc lineamenta ejus non paucas usurpare.* Ne verò gratis hoc eum dixisse existimes, instat ulterius, & asserit huic *Ebrææ linguæ Indicam, Persicam, Babylonicam, Armeniam, Syram, Arabicam & Gothicam esse conjunctissimas: & hujus rei ait extare apud Procopium, Agathiam & Jornandem documenta.* Ex linguis verò Africanis expressis verbis producit *linguam Ægyptiam, Æthiopicam & Troglodyticam; quas, ait, consimiliter propinquitate ad Ebræam maximâ pertinere.* Et *tandem concludit linguam Ebræam esse omnium linguarum principem, omnium jucundissimam, imprimis utilem & necessariam, omnium judicem, omnium maximam; scil. principem antiquitate; jucundissimam simplicitate, & gratia; utilissimam summéque necessariam argumento; judicem constitutione sui æquissima*

[d] *In præfat. Gram. ex orat. de ling. Ebr.*

sima & incomparabili; maximam genitura et propagatione, quæ tam numerosos fœtus tam multis locis & regionibus peperit. Casparus Waserus * his accedit, & *magnam esse* ait *Chaldaicæ, Syriacæ, Arabicæ, Persicæ, Æthiopicæ, Ægyptiacæ, Troglodyticæ, & Punicæ linguæ cum Ebræâ affinitatem: quanquam in una magis, in altera minus, ut notarunt ii, qui cognitionem harum linguarum habent, hoc appareat.* Ostendit etiam *Hier. Megiserus* e *Ebrææ linguæ propagines esse Maroniticam, Mauritanicam, Fessensem & Maroccensem.* Et *Joh. Seldenus* f *asserit sermonem in coloniis Africanis (quæ è Syria occidentali transmigrarunt) seculis etiam recentioribus, advenarum licet colloquia diu passum, ab Ebræo non multum discrepasse.* Sed hac de re nolo plura: quia hæ linguæ nobis in Occidentali mundi plaga degentibus minus sint obviæ.

* In Comm. ad Mithrid. Gesneri.

e In Lexici Prolegom.

f In proleg. lib. de D. Syris.

Sep-

Septima Positio.

Linguæ Græca & Latina, quales in scriptis eruditorum extant, nullibi jam vernaculæ, & linguæ Nationum Europæarum nunc in usu multas habent voces Ebraicis ita affines, ut constet has ab Ebraica veram suam & ultimam habere originationem. Sunt *voces primariæ in qualibet lingua*, sive sint ejus linguæ peculiares, sive aliunde sumptæ, *optimo consilio* (ut ait [a] *Varro*) *paucæ, quæ verò à primariis deducuntur innumeræ*: scil. *ab aliquo uno themate* (ut ait) *dictiones* 500. Quod si verò quis teneat pauca illa alicujus linguæ themata, totius cognationis & viciniæ cohortes in illa lingua faciliùs imbibet. Etsi autem deductio quarundam vocum, ubi terminationum tantum est variatio, aperta sit & tritissima: aliarum tamen vocum tectior & abstrusior est; nec sine eruditorum industria & perspicacitate extunditur. Facile *legens, legendus, lector, lectio, lectito,*

[a] *Lib 3. de ling. Lat.*

lectito, &c. originem ſuam agnoſcunt à verbo (*Lego*). Et *lego* etſi in linguam Latinam uſu frequentiſsimo fuerit receptum, & pro cive Romano habeatur, & multiplicem prolem numeret eâdem donatam civitate: non tamen frontis erit tam perfrictæ; ut *avum ſuum antiquum* λέγω, aut antiquiorem aliquem proavum è finibus Ebræis prodeuntem deneget. Ab (*Homo*) facili flexu cadunt *humanus*, *humanitùs*, &c. ſed unde ducatur (homo) ſtudiosè quæſiverunt literati, nec eadem omnibus arriſit ſententia.

Reconditiores hæ vocum originationes ſunt, quæ jam erudito huic ſeculo negotium faceſſunt. Has ut penitiùs & ſagaciùs ſtudioſi inveſtigarent, annotarunt quidam 1. voces quaſdam formatas eſſe literis & ſonis rei ſignificatæ maximè congruis. ut Σύρω, συείζω, *Sibilo*, *Suſurrus*, *Tintinnabulum*, κλαγγὴ *clangor*, ῥόγχος *ronchus*, ὀλολυγὴ *ululatus*, &c. De his rectè Plato [b] τὸ ὄνομα μίμημά ἐστι τοῦ πράγματος, *nomen rem ipſam exprimit, ſeu imitatio quædam eſt rei.* Sed nimius forſan eſt Plato in literarum Græcarum viribus exprimendis, cum *has motum*, *illas quietem & conſiſtentiam*; *has vehementiam*, *illas mo-*

b Plat. in Crat.

moderationem, &c. *sua natura designare dicat.* Heic cavendum puto, ne simus, quàm par sit, audaciores, & quicquam temerè tentemus; Nam & Socrates sensit se in hac dissertatione [c] μακρότερον τῦ πρεπόντος *longiùs, quàm oportuit, processisse.*

[c] *Plat in Cratyl.*

2. Voces quædam sunt derivatæ, quarum in sua quaque lingua ratio potest reddi. Sic Latinè dicitur victima, [d] quæ *dextra victrice cecidit, hostia hostibus è dimitis*; *rostrum* à rodendo, *rastrum* à radendo, *stapedes*, quia super hos pedes stant. Sic Græcè dicitur δράκων *draco*, quia acutissimè δέρκει *videt*; ἀηδὼν *luscinia*, quia suaviter ἀείδει *canit*; ἄιλουρος *felis*, quia ἀιόλως τὴν οὐρὰν *caudam variè agitat.* Hoc verò in genere longè cæteris omnibus lingua anteit Ebræa, in qua אדם *homo* dicitur quia *factus è terra*, אדמה: *Leo* vocatur לביא à לב *corde*, *propter animositatem.* חסידה significat *Ciconiam* à חסד à *pietate in parentes*: cujusmodi in hac lingua voces sunt innumeræ. In his etiam vocabulis verissimum est illud [e] *Platonicum*; ὃς ἂν τὰ ὀνόματα ἐπίσηται, ἐπίσταται καὶ τὰ πράγματα, *qui nomina novit, novit etiam res.* Idem videre licet

[d] *Ovid. Fast.*

[e] *Plat in Cratyl.*

in quibudam vocibus cujuslibet linguæ vernaculæ. Ita tamen ut quædam ex vocibus primitivis (sic dictis in illa lingua, quod quasdam dictiones procreant derivativas) primitivas alias voces in linguâ agnoscant superiori, aliquando autem in Ebræa.

3. Sunt voces quædam, quarum rationem eruditi quidam sese nescire fatentur. *Socrates originem vocum* (σῦς & κακός) *& quarundam aliarum dictionum se ignorare* ingenuè *agnoscit*, *Multa* autem (inquit *Priscianus*) *sunt vocabula, quorum origo ignoratur.* Causa verò hujus ignorantiæ assignatur. 1. à *M. Varrone*[f], aut *vetustas, quæ multa delevit; aut quòd literæ nimium interpolantur*, quòd vulgi contigit incuriâ; 2. à *Jovin. Pontano*[g], quod *Latini nomina ab aliis sumpta ita conformarunt, ut originem veram cognosci nollent*, & ut *suæ linguæ tanquam propria arrogarent.*

Ibid.

[f] *Lib. 4. de ling. L.*

[g] *Lib. de Aspir.*

Sunt & 4. aliæ voces, quæ ratione minùs recta & approbanda fuere impositæ: nam cum his temporibus nova quædam armorum, vestimentorum, navigiorum & plurium instrumentorum genera à variis artificibus fuere excogitata: licet ipsi horum inventores nominum

num multorum rationem suggerant, non tamen quarundam rerum nomina infirmâ & ineptâ de causâ fuisse imposita diffitebuntur. Hoc etiam priscis contigisse nullus dubito. In mundi administratione, quam Deus sapientissimè moderatur, multa fiunt enormia, monstrosi quidam partus & rerum productiones oriuntur, quæ præter iustam & regularem formam & dispensationem, & ordinarium naturæ cursum accidunt: sic licet homines vocabula plurima rebus imposuerint non sine certo & optimo consilio, & ratione satis conspicua: quædam tamen nomina inveniri indubium est rebus suis minus convenientia, sed aut levi, aut ineptæ, forsan & absurdæ causæ alicui ortum debentia, & errore quodam humano in usum protracta. Ferunt *Romanos* * *per Thusciam tunies Latinè quæsisse ab Agellinis urbis eorum nomen, cum verò Agellini, utpote Græci, & quid verba Romani illud percontantis vellent, nescientes, illum salutarent voce usitatâ* χαῖρε: *statim Romani (detracta aspiratione) nomen Cære urbi* dicuntur *imposuisse*. Apud Londinenses Porta vulgò dicta **Algate** vetustatis dentibus corrosa non multis ab-

* Guil. Godel. annot. in Livium.

hinc annis subruta est; & nova eo ipso in loco porta splendidè constructa est: quæ iam quoq; (quoniam multitudini ita placet) dicitur **Algate**, hoc est, **Oldgate**, *vetus porta*: cum tamen *nova porta* sit, & hoc nomine veriùs insignienda. Ptolemæus * *dictus Philometor gravissimum matris suæ odium expertus est*:* Antiochus, *verò nomine* Epiphanis *gloriabundus, universæ posteritati plurimis opprobriis, & ignominiâ nunquam abolendâ pro suo merito innotuit*. His neutiquam opus est plura annectere. In vocabula huiusmodi si incidamus, nihil aliud restat, quam ut quomodocunque imposita & diu recepta tacito consensu probemus, & usu quotidiano teramus. Nam *loquendum, ut vulgus*; & *vocabulis utendum præsentibus*. Reliquarum fere omnium vocum origines exquirere nihil est quod diffidamus; etsi priorum quorundam seculorũ scriptores fugerint, aut ab illis in manus nobis non fuerint traditæ. Rectè *Jul. Scaliger*, [h] *In quædam principia nobis deveniendum est, in quibus necesse est sistere intellectum: id & ex rebus patet naturalibus, ubi nullum est infinitũ, & in vocibus ipsis sic constabit. Amaritudo ducetur ab amaro, amarum*

* Pausan. in Artic.
* Athen. lib. 2
2 Mac.

h De Caus. ling. Lat. 1. pag. 68.

amarum à *mari*. *Mare unde derivabitur? ab Ebræo* (*Marah*). Vox hæc Ebræa aliarum causa est, ipsius nulla *prior vox* causa est. Desudarunt certè Græci et Latini multum, gentes cæteræ nonnihil in abstrusioribus vocum suarum originibus expiscandis: in quibusdam verò vocibus felicem posuerunt operam; in aliis à verâ metâ longè aberrarunt: quia Græci Ebræis suas origines invidêrũt, et Latini è Latina lingua voces suas pleraſq; eruere sunt conati. Malè Platoni est ἡδονὴ *voluptas*, interposito δ, ab ἰὸν, quia ab illa dimanat ὄνησις, aliquid scil. quod iuvat et prodest; et οἶνος *vinum* ab ὀνίνημι, quòd facit quempiam opinari, quod non est verum; et ἔτος *annus* ab ἐτάζω examino, quia tempus cuncta probat. Cum veriùs ἡδονὴ derivetur à עדן voluptas, et οἶνος à יין vinum, et ἔτος à עת tempus, quorum significationem vel ipsissimam, vel cognatam, et quantum necesse est, Scripturam obtinent. Haud rectè autem Latini quidam flexerunt (*fur*) à furvo, quod nocte fures prædentur; et dixerunt, quod *frater* sit, quasi fere alter, et *ager* ab agendo in eo aliquid: cum genuinè deducatur *fur*

à φώρ, *frater* à φράτωρ, *ager ab* ἀγρὸς, quorum etiam sortiuntur significationem. *Fabius* [i] igitur meritò eiusmodi originationes iugulat, et *M. Varro* [k] *Ælium virum eruditum* reprehendit; quòd *quorundam vocabulorum, quæ à Græcis Latini acceperant, perinde atque essent propria Latinorum, falsas reddidit causas*. Ipse tamen Varro [l] sui temporis consuetudine abreptus, iure est culpandus, quod (ut ait *Scaliger omnia*) certè nimis multa Latina è Latinis eruerit. Certissimum est tum Græcos, tum Latinos honori linguæ suæ nimium litasse, ut ex *Platonis Cratylo, & Varronis & Isiodori Episc. Hispalensis & aliorum libris* hac de re abundè satis liquet. Est tamen Platonis ingenuitas laudanda, quia fatetur. 1. *quasdam etymologias nimia vetustate obtritas*; 2. *quasdam voces origine esse barbaras*; 3. *quædam vocabula à Deo (huc enim ait se, ut Tragœdi, in re ardua confugere) rite imposita affirmat, sed causam imponendi hominibus esse ignotam*: et cum multas protulisset, de quibus quispiam meritò dubitaret, Etymologias; οὐδὲν (inquit) ἂν ἰσχυρισαίμην, ὧν εἴρηκα, *nihil, quod heic dixi pro vero certoque sum asserturus*. Et Varro veniæ locum facilius

i *Instit. orator.* 1. 10.
k *Lib.* 1. *de ling. l.*
l *Lib.* 1. 28. *de ling. L. causis.*

lius inveniet, quia alicubi ex vocabulis usu Latinis fatetur *quædam* [m] *esse verè Latina, quædam aliunde sumpta, quædam oblivione fere extincta*: & eum ingenuo hic esse animo arbitror, ut alibi, cum dixit. *Heic* [n] *quid putem, non quid contendam pono.* Fuit enim Romanorum doctissimus: idcirco & ingenio minimè obfirmato: quippe *est illud ignorantiæ ingenitum & proprium.* Si videns meliora probansque deteriora sit secutus, si legem in vocum originibus perscrutandis tenendam bene sanxerit, & vitio sui temporis abreptus in omnibus non observarit: hunc ei lapsum condonabimus. Quia facilius est leges ponere, quam semper & in omnibus actionibus tenere.

m De ling. Lat. lib. 4.

n Var. in fragm.

At quinam tandem sunt illi Barbari, quibus Gentium philosophi aliquid in linguis, literis aliisque rebus aliquid attribuunt? Heic aut prorsus silent autores, aut quærunt diverticula. Scil. affirmant scriptores varii *Cadmum Phœnicem fuisse literarum inventorem*; Herodotus [o] *artes Ægyptias à Tyriis, è Phœnicia profectis, fuisse traditas*; Diogenes Laertius *Thaletem Phœnicem* [p] *animæ immor-*

o Herod. in Terpsic.

p In ejus vita.

mortalitatem Græcos docuisse; Lucianus contra Philosophos jocosè, sed verè & audacter Judaicis Apostolorum seu Christianis argumentis militans, atque ideo *sub nomine Parrhesiadæ filii Alethionis*, ait *se Syrum esse: & Syrus revera fuit: & dissimulavit tantum, unde illa deprompsit arma.* Varro[r] ait vocem (*camelus*) quæ Ebræam agnoscit originem, è *Syriacis finibus esse prognatam*; *& literarum*[s] *Græcarum nomina* à *Barbaris esse mutuata*; *Isocrates*[t] *multarum rerum inventores perhibet Barbaros.* Quid plura? non lac lacti similius, quam hæ fraudes Græcorum inter se. *Omnes congruunt, unum nôris, omnes cognôris.* Hinc verò facile est cernere, quam invito animo quicquam Ebræis & veri Dei cultoribus acceptum referant. Cur verò istud? vetuit nimirum Deus Ebræos *consuetudinem cum Gentibus habere, & Ethnicos ritus & mores imitari, & Christianos sanctas res canibus proponere:* inde Gentes & profani odio omni dignissimos putarunt Ebræos & veri Dei cultores, & siquem veritatis radium splendore ejus victæ conspexerunt, verum eius autorem Deum &

r De ling. Lat. li. 4.

s Bl. lib 7.

t In Panathen.

Dei

Dei populum rarò agnoverunt. At iam *Astræa virgo, quæ terras olim reliquit, rediit*; & omnia ad Justitiæ lancem vult ponderari, & ius suum cuique tribui. Siquidem industria præcedentis & huius ætatis nebulas illas, quæ sacras linguas obumbrarant, dispulit; & vocabulorum gemmas, quæ in ruderibus variarum linguarum diu iacuerant deturpatas, exquirere, & veris Dominis adiudicare studuit. Voces quædam solent (ait [u] *Varro*) *radices extra fines suos porrigere; ut sæpe arbor in agri limite posita, inter vicini segetes facit surculos exsurgere.* Hoc liquidò patet, quia cernimus Latinarum vocum semina sese *in linguas Italicam, Gallicam, Hispanicam*, &c. sparsisse: & certum est Græcam linguam longè maximam totius orbis partem suarum dictionum copiâ ditasse; & Ebrææ linguæ autoritatem & maiestatem cum grandi vocum suarum exercitu vicinorum linguis, & non parca manu remotiorum populorum sermoni sese ingessisse. *Græca* [a] *lingua* (inquit *G. Postellus*) *præter multa vocabula & disciplinarum omnium originem, etiam non paucas locutiones, ac lo-*

u *De ling. Lat. l. 6.*

a *Tract. de Ebraismo antiq.*

loquendi tropos ab Ebræis habet. In Græca lingua adhuc (ait[b] *Ch. Becman*) *satis lucida Ebraici sunt sermonis indicia. Antiquissima Græcorum vocabula* (ut[c] *Is. Casaubonus*) *sunt originis Ebraicæ.* Quod verò Latini Græcis utebantur vocabulis, minus mirandum, quia *Itala*[d] *tellus — Græcia major erat: & plures urbes Italicæ Spartano & Arcadico genere erant prognatæ:* Et, ut *Scaliger*, *Romæ nomen*[e] *Græca vox est, sicut etiam universa pene lingua Romana.* Huc faciunt multa, quæ afferunt *Megiserus*, *Quintilianus*, *Varro & alij complures.* Quod si autem multas voces debeat Græca lingua Ebrææ; Latina Græcæ; & Anglica, Gallica, Germanica & cæteræ Europææ linguæ longè plures dictiones è Latio sumpserunt, necesse habent traduces hæ omnes Ebræam linguam matrem suam antiquissimam & dignissimam agnoscere. Et meritò iudicandum est, Casparum Waserum * rectissimè existimasse linguam Græcam, Latinam, Gothicam, Germanicam, Hispanicam, Gallicam, Anglicam, Ruthenicam, Sarmaticam, Vandalicam multa vocabula ab Ebræâ linguâ

b *In Maduct. ad ling. Lat.*
c *Lib. 1. de Satyr.*
d *Ovid. Fast*
* *Dion. Halic. I.*
e *Scal. lib. de Plantis.*
* *In comment. ad Mithrid. Gesneri.*

guâ sumpsisse. Sed quid plures autoritates opus est congerere? Vt nemo quodã linguæ Ebrææ præjudicio, quod heic adstruo, aut reprehendat, aut inficias eat; in rem præsentem veniamus.

Qui linguarum harmoniam indagarunt, hoc nobis ob oculos ita posuerũt, ut lippus & luscus sit, cui scripta eorum legẽti hoc non sit persuasissimum. *Ioh. Camerarius Episcopus Wormaciensis & Rodulphus Agricola aliquot millia dictionum Græcarum (testante* [f] *Th. Bibliandro) in linguam Germanicam invectas annotarunt. Sigismundus Gelenius Bohemus lexicon* [g] *Symphonicum edidit*, in quo vocabulorum Latinorum, Germanicorum, Slavonicorum cum Græcis concentum ostendit. *Casp. Rothius* [h] *è Scriptis Scaligerorum, Lambini, Gifanii, &c.* multas dictiones protulit è Græcis petitas. *Christianus Nirmutan* [i] libro satis amplo harmoniã linguæ Græcæ cum Latina, ut & cum Gallica & Italica complexus est. *Gulielm. Postellus* breviter quasdam *voces Græcas, Latinas, Gallicas, Arabicas, Indicas, ex Ebræo idiomate* prognatas perstrinxit. *Joh. Avenarius* [k] *copiosissimè Græcas et Latinas voces* ex fonte *Ebraico* proma-

f *Lib. de ration. ling. com.*

g *Impress. Basil.* 1537.

h *In Lampad. Orthog. fine. Impres. Lips.* 1615.

i *Dictionar. Harmon. Francof. Impress.* 1630.

In Lexic.

promanantes, in qualibet radice Ebræa explicanda congeſsit. *Eſtienn Guichardus* [l] *ex Ebraicis vocabulis multas eruit Latinas & Gallicas. Georg. Cruciger* [m] 4^or. linguarum *Ebrææ, Gr. Lat. Germ. Harmoniam* copioſiſsimam & pleniſsimam concinnavit, et dextrè in tabulis perpetuis digeſsit. Quibus liceat addere *Gulielmum Lamplugh Anglum, linguarum ſcientiâ optimè inſtructum: qui vocabula Græca, Latina, Anglica* ſtudioſiſsimè et diligentiſsimè collegit, et Ebraicis vocibus in Epitome *Lexici Buxtorfiani* adaptavit. Hic annum 49. agens, et longiore vita dignus obiit anno Dom. 1636. et mihi amoris in me ſui μνημόσυνον, ſuum hoc opus multis vigiliis exantlatum, nondum tamen omnibus numeris (quod ipſe fatebatur) abſolutum reliquit. Ne verò in privato aliquo lare deliteret tam egregius conatus et indefeſſum tot annorum ſtudium in *Nobiliſsima Bibliotheca Bodleiana apud Oxonienſes, à Viro reverendiſsimo Gulielmo Archiepiſcopo Cantuarienſi ampliſsimo, & Cancellario Oxonienſi honoratiſsimo ſedem habet ſibi deſtinatam.* Sunt et alia virorum literatorum

[l] *In Harm. Pariſ. edit.* 1610.

[m] *Harm. 4. ling. Francf. Impreſſ.* 1616.

rum et de linguis optimè meritorum opera, quæ multa habent ad Harmoniam linguarum adornandam profutura. Qualia sunt *Lexica Val. Schindleri, Ier. Megiseri, & Matth. Martinii*: His accensenda sunt opera *Ch. Crinesii de confusione linguarum, & Christoph. Besoldi de natura populorum, & linguarum ortu & immutatione*; nec non quæ conscripsere *Gulielmus Schickhardus, Rich. Verstegan, Andr. Helvigius, Jo. Minshew*, & alii [n] haud pauci. In hac arena labores impenderunt tot viri eruditissimi et variarum linguarum notitia conspicui, ut manifestum sit, quantum linguæ Europææ idiomati tum Græco tum Ebræo debeant, et quam multis in vocibus Græca etiam Ebrææ respondeat. En admirandam et summa gratulatione deprædicandam Dei providentiam in sacris linguis orbi communicandis: quarum scientiam *Iudæi Christianis* inviderunt, et *veternosi* [o] *et ridiculi Sophistæ tanquam Romanæ pietati alienam criminati sunt: cum Ioh. Reuclinus primus omnium rudimenta Ebraicæ linguæ Latinè conficit anno* 1518. *et Budæus, Erasmus*, et alii viri illustres ad Græ-

n *His addendi sunt Henr. Stephan. Perionius. Vandermil.*

o *Reucl. in lib. de accentibus edit. an.* 1518.

Græcæ linguæ amorem & honorem in occidentalibus his mundi partibus animos eruditorum accenderunt. Nos vero pro ſumma Dei in nos bonitate cernimus radices (quod & de primis *Gazæ*, *Chalcondylæ*, *Argyropyli*, &c. conatibus in lingua Græca promoven-
[p] *In eodem lib.* da veriſimum eſt.) *non modo* [p] *in ſurculos, ſed et in proceras alnos, lucos et ſilvas* (*quod et ipſe Reuclinus prædixit annis abhinc* 120.) *pullulaſſe*. Ex illis olim initiis, ex laudatiſsimo in hunc uſque diem progreſſu futurum ſperamus, ut copioſior indies ſacrarum linguarum prodeat notitia, et ſacrarum linguarum cum linguis Europæis Harmonia evadat multò inſtructior.

Octa-

Octava Positio.

UT jam disquiratur qua ratione vocabula Ebræa in linguis variarum nationum dignoscantur, ponimus 8°. in loco. *Voces Ebrææ in linguas cæteras admissæ variam subeunt mutationem, & pro vario cæterarum linguarum ingenio variè interpolantur.* Siquidem ut arborum surculi & animalium fœtus in terras peregrinas & longinquas asportati, sensim & paulatim à primæva matrum suarum natura deflectunt: sic & voces Ebrææ originis in alias linguas receptæ sensim genuinam & pristinam suam faciem exuunt. Ita tamen ut nec species animalium & arborum depereat, aut originis ipsius forma, & vis pristina vocabulorum prorsus intereat.

Primò igitur in aliis linguis fines & terminationes vocabulorum à terminationibus Ebraicis sæpissimè declinant. ut, עברי Ebræus, Ebraus, Hebrew,

מטיל μέταλλον, *metallum* mettle. קרן κέρας, *cornu*, horn. אליה Ελαία, *Elaia* Elah. Nec est quod quisquam in his & similibus hæsitet: si dictionum Latinarum à Græcis petitarum variationem in earum finibus trutinarit. Quomodo autem voces Græcæ, finibus variatis, in linguam Latinam, & voces Latinæ in Gallicam & Italicam linguam transierint, ostendit *Christianus Nirmutan*, & regulas generales hac de re multas concinnavit.

Secundò, vocalis quælibet vocabulorum, Ebræorum vel Græcorum, quæ in aliam transeunt linguam, in quamlibet aliam vocalem in his vel illis dictionibus immutatur. Hoc ex continua serie vocum in harmonicis lexicis ita manifestum est, ut exempla addere minime opus sit.

Tertiò, Si mutatio consonantium ejusdem naturæ & organi in unâ eâdemque lingua fit frequens & usitata, non potest non usu venire, ut consonantes ejusdem naturæ & organi in variis linguis subinde mutentur. Qualis verò sit hæc mutatio in eadem lingua, non est obscurum. Nam liquidæ pro sua inter se cognatione mutuum præstat officium, tenues

pro

pro mediis vel aspiratis & cōtra; aspiratæ pro mediis & contra ponuntur; resolvuntur duplices in simplices, simplices in duplices transeunt: ut in his cernere licet exemplis. *Imprimo, illocabilis, corripio, dux ducis, rex regis, fingo finxi fictum*; & in his τύπτω, τύψω, τέτυφα, τετύφθα, λέγω, λέξω, λέλεχα, λελέχθαι; ἕπτα, ἕβδομος. Eadem planè ratione in lingua Ebræa דבא & חפה *abscondere* עדה et עטה *vestem induere*, כגר et ככר *claudere*, immutant literas quasdam eadem manente significatione. Si hæ literarum mutationes in una eademque lingua contingant, similes etiam, ubi vox Ebræa, Græca, vel alterius linguæ in aliam migrat, fieri mutationes est verisimillimum. In his igitur vocibus diversarum linguarum manifestissima est originatio. גמל κάμηλος, *camelus*, a Camell, מכלול (*perfectio*) μεγάλη, much, micle; שש, ἕξ, *sex*, six; גורן *granum*, *granarium*, grain, corn, garner; φράτωρ, *frater*, brother, Bruder; hujusmodi infinita suppeditant Lexica harmonica. De literarum inter se commutatione copiosè tractarunt *Theodorus Beza & Iulius Scaliger & alii non pauci viri eruditi*. Nec est quod quisquam hanc literarum com-

a Lib. de Pronunt. L. Gr.

mutationem miretur: cum (ut *Beza* a) *nulla pene sit litera, quæ in aliam non mutetur.* Scilicet idem heic vocabulis, quod vino contigit in alterum vel tertium vas transfusum; scil. ut aliquid genuini & pristini saporis deperdant.

Quartò, multiplex & varia est commutatio spirituum & literarum in quibus est asperior & difficilior pronuntiatio: immo hæ literæ sæpe, vocabulo in aliam linguam transeunte, prorsus abjiciuntur. ut in חוה, *ἄα*, *Eva*, **Eve** עברי Ἑβραῖος, *Ebræus*, *vel Hebræus*, **an Ebrew**; עזרא, Ἔσδρας, *Ezra*, משיח Μεσσίας, *Messias*, יהוחנן, Ἰωάννης, *Johannes* **John**; יעקב Ἰάκωβος, *Iacobus*, **James**; צחר (nitidus albus) σάκχαρ, *saccharum*, **Sugar**; בעל, Βαάλ, Βῆλος, *Baal*, *Belus*, *Bel*; ארץ, ἔρα, *terra* **Earth**; σπηλύγξ *spelunca*; ὄνυξ, *unguis*; πύξ, *pugnus*, **a Fist**, πατρίζω, *patrisso*; ἐσθὴς, *vestis*; ἕρπω, *serpo*; ἐμέτος, *vomitus*; ἐπὶ, *super*, **Over**.

Quinto, *Prosthesis Apheresis, Epenthesis, syncope, paragoge, Apocope, metathesis* (ut in variis cujusvis linguæ dictionibus, ita & multo magis) in vocabulis ex alia in aliam linguam migrantibus locum habent. Prosthesis ut à נגש ap-

pro-

propinquavit fit ἐγγὺς *prope*: à תמם denotante aliquid finiri & consummari fit ἔτοιμος *perfectus*, *Paratus*; ab ἐδίειν, *vesci*; Sic Aphæresis, ut à נטר τηρέω; à πλατὺς, *latus*; à σελήνη *Luna*; ab ἄγαθος **good**. Sic Epenthesis, ut à שרה Σάῤῥα; ab ἕτερος vel ἄλλος *alter*. Syncope ut à יצחק fit, ἰσαὰκ, *Isaac*; à λάκκος *lacus* **a lake**; à κάθεδρα **a chaire**; à יהודית **a Jewesse**. Nihil vero est paragoge & Apocope usitatius in finibus propriis cujusque linguæ addendis, & Ebraicis finibus rarò, Græcis frequentius detrahendis. Metathesis verò nonnunquam occurrit: ut à בקש *poposcit*, *venatus est*, fiunt *posco*, *piscor*, **to fish**; à סכר clausit, fit carcer; à γλύφω *sculpo*; à τέρην, *tener*, **tender**; à νεῦρον, *nervus*; à μορφόω *formo*; à φαπίνη *pænula*.

Sextò, Observanda est Litera (ρ) vel (ϛ), quam suæ cuiusdam potestatis literam esse perhibent Grammatici, & quam Lucianus introducit à (τ) in crimen meritò vocatam, quia potestatis suæ limites quo iure, quave iniuria nimis latè extendit, & non literam (τ) solummodo, sed et alias literas sua statione deturbat, et earum locum sortitur

titur ut אתא fit ου frequentius quam ου; ῥέτινη fit *resina*, **Rosin**; ἔγχος fit *ensis*; χήρυγος fit **Surgeon**, *Honor* fit *Honos*. Est etiam, ubi quædam literæ par pari referant, & lege Talionis literam (ſ) loco suo pellant, ut שלש *tres* Chaldaice fit תלת; שש sex fit שת; ארץ terra fit ארע; hic πρόκνω fit Attice πρᾶκτω; σίμβολον fit ξύμβολον. Idem observare licet in his vocibus; *oculi* ab ὄσσε, *turris* à τύρσις, *medius* à μέσος, pix à πίσσα, *tu* thou à σύ, *te* thee à σε, &c.

7. 7°. Aliquando fit commutatio alicuius literæ in aliam, cujus non est manifesta cognatio: ut in his, Ὀδυσσεὺς *Ulysses*, δάκρυμα *lacryma*, δὶς *bis*, δόπος *bipes*, ἀμνὸς *agnus*, πίτυς *pinus*, βέλτερος **better**, βραχὺς *brevis* **breif**, ζυγὸς *jugum* a **yoake**. Nam in his vocibus inter literas commutatas nulla aut parva admodum est affinitas. Sunt & vocum miræ quædam contractiones observandæ, ut cum ab ἐλεημοσύνη fiat **Almes**; à κυριακὴ **Church**, **Kirk**; ab ἔγχελυς anguilla **Eele**; ab ἀλώπηξ *Vulpes*, fine abiecto; & **Fox**, tribus prioribus literis abscissis; ab Avunculus **Unkle** fine tantum servato. Plura huius generis licet reperire; at

rari.

rariora sunt; atque idcirco aut non omnino, aut non temerè in exempla à nobis trahenda. Quare nisi vocum significatio, maxima cæterarum literarum convenientia, & eruditorum plurium suffragia pro nobis faciant, ita ut originatio nulli ingenuo censori sit deneganda, nihil debemus in hoc genere tentare. Vltimò (quoniam heic 8.
regularum spicilegium, non messem afferre est animus) linguæ cæteræ aliquando non ipsius thematis Ebræi, aut Græci, aut Latini, sed alicuius casus seu vocis derivatæ à themate ipso formam ductúmque imitantur. ut μωκάω **to mocke**, & μωκεύω (accuso) propius accedunt ad מוכיח participium, quam ad radicem יכח (*increpare.*) *Hospes & Hospitium* propius ad תושיב (habitare fecit) quàm ad ישב (habitavit) *placenta* ad πλακοῦντα accusativum, quam ad πλακόεις (eius) nominativum; *gusto* ad γεύεσθαι, propius quàm ad γεύω; *claudo* ad κλειδὸς propius quàm ad κλείω vel κλεὶς; *unus* **one**, propius ad ἑνὸς genitivum, quàm ad εἷς. Sic Anglicè **part & fountain**, propius ad *partis* & *fontis*, quam ad *pars* et *fons*; **oppresse, suppresse, expresse**

propius ad supinũ *pressu*, quam ad *premo*; **ioynt**, ad supinum *junctu*, quã ad *jungo*; **flowre**, propius ad floris quàm ad *flos*; **foot, feet** propius ad ποῦς et *pedes*, quam ad πούς et *pes*. Nolo hac de re plura: aut plures regulas accumulare. [a] *Ioh. Avenarius*, [b] *Chr. Becman.* & [c] *Georg. Cruciger* longè plures tradidere, et satis copiosa exemplorum supellectili eas firmarunt: ut minùs opus sit Lectorem heic diutius retinere. Si eorum labores sagaciùs inter se conferantur, satis scio pauca admodum futura, quæ desideret quispiam. Cui otium est et animus plura disquirendi, is eorum præfationes, quæ ad opera eorum viam præparant, sedulò evolvat.

a *In Lexic. Ebr.*
b *In manuduct.*
c *In prolegom. Harmon.*

Nona

Nona Positio.

AT inquiet quispiam, cui bono? quærimus utilitas ex harmonia ista magno eruditorum sudore & temporis impendio eruta exurget? ut huic quæsito respondeam, nona sit Positio: *Non exiguum fructum studiosæ juventuti & reip. literariæ ex harmonicis his lexicis redundaturum.* Primò, Lexica hæc multum faciunt ad Linguæ Ebrææ cognitionem promovendam: ad cujus cognitionem qui aspirant, 1. linguam tenent, quâ Deus & Patriarchæ loquuti sunt, quâ Sancti Prophetæ sacra oracula conscripserunt, atque ideo antiquissimam, sapientissimam, sacratissimam, dignissimam. 2. Certiùs & sine erroris metu veræ antiquitatis vestigia in sacris codicibus & sacra lingua inveniunt. 3. Energiam & Emphases sacri textus fidelius percipiunt, & penitius intelligunt. 4. Ex fontibus ipsissimis dulcius & purius veritatem bibunt, non è rivulis interpretum 1. 1. 2. 3.

tum forsan limosis aut turbatis sæpiusculè, & suis oculis (*ut Regina* Shebæ Salomonis *sapientiam in regni administratione, & Religionis gloria*) non ab aliorum ore divina Spiritus Sancti hauriunt dictamina. 5. Faciliorem aditum habeant ad dubia quæque solvenda, ad falsa sectariorum glossemata subtruenda, & adversarios veritatis refutandos. 6. Manifestiùs & liquidiùs *Ebraismos Novi Testamenti* intelligunt. 7. Inveniunt cõcordantias Ebræas Græcis, & Latinis multò certiores & utiliores. 8. Integritatem sacrorum codicum faciliùs addiscunt. 9. Vident quantum cladem orbi invexit linguæ Ebrææ & Græcæ per annos complures amissio, quantam lucem afferat ejus restitutio. 10. Vident *sine priscarum linguarum* (*inter quas primatum obtinet Ebræa*) *cognitione nec verborum nec rerum* (quod ait [a] Gulielmus Postellus) *constare rationem*. 11. Vident (ut idem ait Postellus) *originem nationum tradere, aut recte intelligere non posse eruditos, qui linguam Ebræam prorsus nesciunt*. 12. Viam patefactam cernunt, qua Judæi sua lingua, ut nos Gentes nostris, ad lucem *Evangelii*

[a] Lib. de ling. orig.

&

& fidem Jesu Christi (quod maximè optandum & valdè probabile) vocentur, & Christo propitio humanis conatibus) adducantur.

At qua tandem ratione *Lexica Harmonica* Linguæ Ebraicæ cognitionem reddunt faciliorem? Hoc, inquam, efficiunt, Primò, quia demonstrant, quid in lingua vernicula, aut Latina, aut Græca jam imbibitis sit Ebraicæ originis; ita ut te discentem doceant tanquam ab effectis ad causas ascendendo, quot voces Ebraæ tibi illud nescienti sint jam ante perceptæ & cognitæ. II. Faciunt ut vocabula illa Ebraica memoriæ tenacius inhæreant. III. Excusitabunt mentes studiosorũ ad radices reliquas Ebraicas ediscendas, & perfectiorem linguæ cognitionem assequendam. Tunc enim facilis & jucundus erit studiorum cursus, cum per gradus quosdam proceditur, & præcedentia viam parant sequentibus, nec omnia sese tanquam nova, & nunquam prius tentata offerunt. I. II. III.

Non solum autem *Lexica Harmonica* linguæ Ebraæ cognitionem reddunt pariorem, sed etiam Secundò, ostendunt quibus vestigiis voces ex Ebræa lingua

in Græcam, deinde in Latinam, tum etiam in alias omnes linguas devenerint, & quæ lingua in quovis vocabulo proximè ad Ebræam accedat. 3. Monstrant, quibus in vocabulis reliquæ linguæ inter se conveniant & ad cæteras linguas imbibendas viam sternunt compendiariam. 4. Rationem orthographiæ immutatæ vel restitutæ aperiunt, & ad hujus perfectiorem & certiorem delineationem multùm conducunt. 5. Animum (ut ait *Scaliger*) *si in his originationibus modus adhibeatur, ad contemplationes exquisiores reddunt alacriorem.* 6. Panditur hoc via paratissima ad falsas & ineptas Originationes eliminandas, & veras certasque confirmandas, ut invento tritico, glandes rejiciantur. 7. Optimè ostendunt *Lexica Harmonica*, quàm inani conatu mundi (ut perhiberi voluerunt) Domini simul cum Imperii jugo, linguæ suæ usum nationibus devictis tentarunt imponere: cum Christus longè aliâ Dominii sui administrationem & confirmationem aggressus viâ, omnes omnino linguas consecrarit, & ut Gentes plerasque sic & linguas multis modis inter sese miscuerit & confuderit; & velit, non ut una lo-

loquamur linguâ (quod longè difficilimum esset humanis conatibus; sed (quod multo facilius) ut unum loquamur, unam religionem sub uno capite Christo amplectamur, & Dei nomen, regnum, gloriam una mente celebremus.

Positio Decima & ultima.

CUm tot ac tanta ex Lexicis Harmonicis oriantur commoda, decimo in loco duo sunt impensiùs optanda & à linguarum cultoribus expetenda. 1. *Vt in hac linguarum cum Ebræa affinitate & Harmonia magis indies expendenda & perficienda elaborent.* Ad hoc opus ut animosiùs & vigilantiùs insurgant, multa videntur adhortari. I. Quod felicissimè huius negotii posita sunt initia: *bene autem cœpisse solet pro facti dimidio reputari*: neque illud immeritò; quia nihil unquam egregium tentatur, cuius primus conatus miris calumniis non impetatur, 1. I.

tatur, & convitiorum plaustris oneretur.
II. II. Nebulæ istæ nubesq; opprobriorum & oppositionum omnium diflantur, fugantúrque crebris eruditorum suffragiis, qui summum linguæ Ebrææ tum honorem, tum utilitatem egregiis & debitis encomiis ornarunt, & *hanc Harmoniam* aut suo calculo comprobarunt, aut in eo
III. demonstrando desudarunt. III. A *tempore Gelenii*, qui primus Lexicon huiusmodi plurium linguarum typis mandavit, tum linguarum sacrarum cognitio, tum affinitatis earum explicatio tam magna acceperunt incrementa; ut illius rivuli videantur in flumina excrevisse. Constat autem facile *esse inventis addere; & bene inchoata, & feliciter promota, ad ulteriores*
IV. *perfectionis gradus perducere*. IV. Quia *viri eruditi, & linguarum scientissimi, & in hoc argumento multum temporis insumentes*, etsi præter spem in primo conatuum ingressu originationes plurimas ex Ebraicis & Græcis vocibus reperere; ingenuè tamen in quibusdam originationibus sese dubios hærere affirmant, & eruditorum opem ingenuè petunt expectantq;.
a *In præfat.* Scil. C. Nirmutan, *In* a *multis*, inquit, *metam optatam non sum consequutus*. Ioh. Avenarius, Lectorem monet, *Siquid*,

inquiens, *errasse videor, illud cogita* אין אדם אשר לא יחטא *Non est quisquam qui non errat.* Et G. Cruciger, quo nemo in hoc negotio studiosior & plenior, *In* [b] *multis*, inquit, *necdum mihi satisfeci.* Si horum oculi in maxima hac omnium literarum luce nonnihil caligarunt, minimè miror *Varronem* fateri, *Non omnium vocum causas posse reddi*, & *Socratem Platonicum* in *Originatione quorundam* (ut dixi) *vocabulorum, quo se verteret, nescisse.* Et cum Varrone tum de ejus, tum de nostra ætate optimè dici posse arbitror; *Siquis* [c] *de vocum originibus multa commodè dixerit, potius boni consulendum, quam, si aliquid nequiverit, reprehendendum.* Cum verò *Socrates* multas vocabulorum origines proferens, & *Cratylum* ad plures eruendas adhortatus, sic loquutus sit: σκοπεῖν δὴ [d] χρὴ ἀνδρείως τε καὶ εὖ, καὶ μὴ ῥᾳδίως ἀποδεχεσθαι, ἔτι γὰρ νεὸς εἶ καὶ ἡλικίαν ἔχεις, *Hæc animo forti & sedulo sunt trutinanda, nec enim facile est assentiendum. Juvenis adhuc es, & sufficit tibi ætas.* Optandum etiam mihi video, ut Juvenis aliquis ad linguarum studium bene à natura & educatione paratus, & usu aliquo satis promptus ad priora illa eru-

b In præfat.

c De ling. L. lib 6.

d Plat. in Cratyl.

eruditorum virorum tentamina & progressus perficiendos invigilaret. Nam ut omne doctrinarum genus, sic vel maximè linguarum scientia se juvenum mentibus, ut rasæ tabulæ, facilius insinuat, & fideliùs inhæret, ita ut *plura possit hoc in opere præstare, qui in vina aurora hæc incipit mediari.* Nec sanè velim, ut quisquam ad altiora & meliora natus se totum in verborum notitiam, rerum scientia neglecta, immergat & immoriatur. *Certe sine hac cognitio rerum incerta est & impossibilis, sed multò est nobilior:* utpote cujus causa in verborum cognitione desudatur. Sed velim ut juvenis aliquis bene positis hujus Harmoniæ initiis, in reliquo studiorum cursu observationes ad linguarum affinitatem facientes, & sese obiter ingerentes annotet, quas in maturiori ætate perficere, & orbi communicare possit. *Non enim scholarum temporibus, sed vitæ spatio terminatur*

e *Instit. l. 1.* (Grammaticæ ait e *Quintilianus*) *Harmoniæ hujus* (inquam ego) *studium & usus.* Cui verò potius est hæc provincia committenda, quàm *Henr. Jacobio Collegii Mertonensis apud Oxonienses socio.* Qui mihi inter colloquendi familiaritatem sæpius insinuavit

nuavit adeò se in verborum causas penetrasse, ut Artis quoddam Etymologicæ Systema sibi fabricarit, & cum docti priores universi rem Etymologicam, aut carptim quidem atque obiter tractarint, aut cum plenissimè, non nisi voces ordine Alphabetico Primitivas disposuerint; ipse profitetur se methodo sua & hactenus intentata, per certas proprietatum classes subordinatim velle istas disponere, donec in paucissimis desinant Principiis: ut hæc verborum Philosophia exactè imiterur illam rerum. Nam apud Grãmaticos, inquit, Alphabetaria vocum series non magis ad universam Aetiologiam perducit, quàm apud Physicos, Rerum. Hunc equidem scio pro summa inter hos per multos jam annos necessitudine, tum linguarum Orientalium & Europæarum, tum Philologiæ cognitione optimè excultum, multum operæ in vocabulorum Etymologia ventilanda, dum majora quæ jam in bonis literis minatur, & feliciter posuisse & jam ponere. Nam hæc testantur multæ & eruditæ in eius adversariis observationes, quas congessit & reposuit publico bonarum literarum commodo

tandem aliquando inservituras. Sic tandem (quod primum mihi optandum videbatur) evadet hæc Harmonia linguarum seu Ars Etymologica multò perfectior, & linguarum studiosis fructuosior.

Secundò autem *cavendum existimo, idque* I. *iis qui parum aut nihil in hac Palæstra tentarunt, ne temere judicium suum præcipitent, & quæ primo intuitu dura aut absona videntur, rejiciant,* τὸ ἰατρικὸν ἰατρικὰ ἐργάζεται καὶ τὸ τεκτονικὸν τεκτονικά; Scil. sæpe quod pharmaca Medicorum & architectorum instrũmenta efficiunt, effici non posse crediderunt minùs in his artibus versati. Igitur hanc ob causam taciti sinimus medicos quæ medicorum sunt promittere, & tractare fabrilia fabros. Quare etiam & eruditis diu multúmque in *hujus Harmoniæ* fabrica occupatis, ut artificibus in aliis artibus, fides aliqua est habenda. Ratione satis evidenti eæ originationes firmabũtur, & usu aliquo mollientur, de quibus in initio quispiam aut dubitet, aut à quibus prorsus abhorreat. Deinde II. *cavendum est hujus harmoniæ artificibus, ne curiosius quam oportet, vocabulorum origines venentur: Est* g *quâdam*

f Plato in Symp.

g Horat. de Art. poet.

pro-

prodire temus, si non datur ultra. Studiosiùs verò hoc cavendum, quia priora secula hoc nomine malè audiverũt, & quia non solum Varro, sed & Isiodorus Hispal. Episc. & recentiores quidam meritò etiam culpantur. Hoc igitur crimen decet lucidiora hæc tempora effugere: & certè prudenter sibi hac in re temperarunt viri cordati & eruditissimi. Becmannus, *non* [h] *omnium*, inquit, *vocabulorum quærenda est etymologia; ut à Stoicis factum sanè perperam & frustra.* Suadet Jul. Scaliger, ut *modus adhibeatur.* Joh. Seldenus, [i] *nolumus*, inquit, *ita profusam in ejusmodi originibus operam impendere.* Et alibi, *Eas*, inquit, *tantummodo diximus origines, quæ à fide dignis autoribus edocti potuimus, solo Numinis* (nam de nominibus Deorum Gentilium agit) *nomine, ubi non datur ultra, contenti; & ab Originationum affanijs, præterquam ubi res ipsa trahat, etiam cum religione abstinentes.* Et Barth. Mayerus [k] monet, *acri judicio opus esse, si quis unum quodque vocabulum ad hujus vel illius peculium velit referre.* Cautius verò hic oportet studiosos evigilare; quia sensim irrepsit in multas scientias, nimia quædam & non amanda diligentia:

h *In nar. vid.*

i *Proleg. cap. 2. de D. Syr.*

Ibid. in fine capitis.

k *Prod 1. part. cap. 4.*

quam his verbis *Th. Linacer*[1] graviter & meritò exagitat: *quosdam*, inquiens, *dum curiosiùs artes tractant, & res in iis fusius disquirunt à proprio artis fine solent retrahere: atque hoc vitio utilissimas & salubrerrimas artes ad garrulitatem rediisse.* Et rectissimè & prudentissimè Dom. Verulamius * judicat quosdam minutiis suis scientiarum quarundam fregisse soliditatem. Summopere igitur in Originationum doctrina enitendum est, ne, quod pravis ingeniis contingere ait [n] Fabius, quisquam ad fœdissima usque ludibria labatur. Si hæc originum disquisitio (quod idem ait Fabius) usum habeat necessarium, & multam in se contineat eruditionem, est sanè liberali & ingenuo viro dignissima, & pro sua dignitate & usu solidè, & eruditè pertractata, valdè laudabilis, & à linguarum studiosis, inter studia graviora serio conatu promovenda.

[1] Lib 3.

* De Augm. scient.

[n] Quint. lib 1.

FINIS.

Lambethæ. Mart. 29.
1639.

HÆ *Positiones de Linguis in genere & variarum Linguarum Harmonia, in commodum eorum, qui studio Linguarum operam impendunt, dignæ sunt, quæ in publicum prodeant: atque ideò imprimantur.*

Iohannes Oliver, *reverendissimo in Christo Patri ac Domino, Domino Arch. Cant. Sacell. Dom.*